


ANNALIUM  
 PROVINCIAE  
 S. JOSEPHI  
 Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS  
 Redemptionis Captivorum.  
 LIBER VIII.  
 SYNOPSIS.

*Ordo in Principatum Transilvaniae operâ potentium Intercessorum inducitur, & Carolinae Caesarea dote stabilitur. Ad proximam adornandam Redemptionem captivorum per Imperium subsidia colliguntur. Mortalitem exuit desideratissima Ordinis & praesertim hujus nostrae Provinciae Mater Domina Comes Harrachia. Pofonii ad ampliandum situm pro ibidem adificanda Ecclesia Caemeterium & platea intermedia mirabiliter obtinentur. Agria superioris Hungariae Civitati Ordo implantatur. Primus Lapis pro struenda nostra Ecclesia Pofoniensi collocatur. Mirabiles quidam eventus per Imaginem Virginis DEIPARAE, ab Auxilio dictae, Viennensi nostrae Ecclesiae donatam, patrati recensentur. Fratris Antonii a S. Felice ex hac vita transitus. Obit Viennae P. Maurus a Conceptione: Pragae autem D. Joannes Ignatius Dominicus Liber Baro de Putz & Turre Aquila, cujus singulares recensentur virtutes. Biennalis cum Turcis belli compendium, unde orti sunt Pacis & Commerciorum Tractatus Redemptioni captivorum proficui. Caesareo-Regio Diplomate confirmatur Fundatio Agriensis. Belgradi Ordinis Caenobium impetratur, & Illavia Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ad novam Ecclesiam solemniter transfertur.*

CAPUT I.  
 Exordia Caesareae Fundationis Carolinae in  
 Transilvania.

I.  *Resequimur annum humanae salutis millesimum septingentesimum decimum quintum, quem praeter alia nova Ordinis colonia, in Transilvaniam ducta, memorabilem reddidit. Diximus superius, P. Josephum a Jesu Maria, cum ante biennium captivorum redimendorum gratia Transilvaniam peragrasset, Cibinii detentum substitisse, ac Proceribus & Statibus Provinciae, ibidem*

*Præius supplicet libellò tentatum fuit Ordinem Transilvaniae implantare.*

1715.

publicorum negotiorum causâ congregatis, supplicem exhibuisse libellum, quò rogabat sacrum quoque Ordinem nostrum in Transilvania Principatum admitti. Verùm ille tunc temporis præter testatam benevolentiam nihil aliud retulit; responsum enim fuit, ut Summam Principis Potestatem accederet, ibidémque vota sua proponeret, se autem operam certatim adhibituros, ut coronatis desideriis indè recederet. Cùm itaque Pater tunc actum se agere cerneret, statuit hoc negotium in commodius tempus differre, donec nimirum absoluta Redemptione Viennam esset reversurus. Porrò anno superiore, cùm P. Redemptor magnâ liberatorum catervâ stipatus viam rursus per Transilvaniam relegisset, ibidémque magnifica, uti pariter recensuimus, charitate ac pompa exceptus fuisset, incolæ illius Provinciae & imi & summi, qui suismet oculis conspexerant, multos suæ gentis tam ex Hungaris, quàm Transilvanis in libertatem assertos fuisse, coeperunt ipsi propriâ sponte suâ, quin Pater Redemptor hujus rei mentionem fecisset, optare, ut Ordo Christianæ Reipublicæ tam salutaris in Transilvania stabilem sedem figeret: quò quidem desiderio non solum Catholici, sed, quod mireris, ipsi etiam heterodoxi exarsuerunt. Neque res inter sterilia duntaxat vota substitit, sed præcipui Principatûs Moderatores, Excellentissimi Comites Stephanus Steinvilleus Transilvaniae Generalis commendans & Sigismundus Kornis ejusdem Provinciae Gubernator, quos alibi sæpe laudavimus, collatis studiis in id incubuerunt, ut nostrum Ordinem Transilvaniae implantari curarent, atque in hunc finem Steinvilleus quidem ad Consilium Bellicum, Kornis verò ad Kazsonium Aulicum Transilvaniae Cancellarium P. Redemptori epistolas perferendas tradiderunt, quibûs significavere, totius Principatûs votis avidissimè expeti Ordinem Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum, quem omnes cuperent aliquò cœnobio in Transilvania stabiliri, neque multum esse de loco laborandum, cùm Albæ Juliae citra munimentorum detrimentum domus quædam assignari facilè possit, in qua hujus Ordinis Professores constanter deinceps residerent: rogabant itaque, ut felicem hujus negotii successum sibi commendatum habere, eumque tota virium contentione apud Cæsarem provehere vellent.

Ordo in Transilvania ab iisdem civibus desideratur.

Opus urgente summi viti.

Albam Juliam designans.

Serib causa tractatur.

II. Quamprimùm P. Redemptor his suffultus litteris Viennam pervenit, rei statum Superioribus indicavit, obtentâque procurationis facultate acceptas Epistolas tradidit, simulque ab amicis rerumque expertis consilium postulavit, qualiter hanc causam ad effectum deduceret. Eorum suâs Clementissimo Cæsari nostro supplex factus oravit, ut Sua Majestas nascentem nostrum in Hæreditariis suis Regnis & Provinciis Ordinem Transilvaniam quoque subire, ibidémque firmum pedem pro salute civium, in Turcarum captivitate gementium, figere pateretur. Audiit orantem Cæsar, & pro suo, quo in hanc urbem, videlicet Albam Juliam, ornandam muniendâque ferebatur studio, Patris petitionem ad Bellicum Consilium, Aulicumque Transilvaniae Cancellarium remisit, ut ab illis examinatam, discussâque Cæsarea sua

Aucto-

Auctoritate comprobaret. Diu tamen nostra desideria ex ancipiti pependere, refragante uno duntaxat, sed viro præpotente, & variis rationibus causam eandem vehementer impugnante, quo superstiti spes nulla nobis relicta erat desideratum finem assequendi. Sed ut ille non multo post ad plures abiit, ita præ-tensionis nostræ negotium denuò revixit; etenim P. Redemptor amicorum consiliis impulsus depositam & conclamantam propè causam majore alacritate nec pœnitendo successu resumpsit. Indulserat Cæsar, in quo secundum DEUM unica fuit nostræ spei anchora, ut præ-tensio nostra rursus in deliberationem revocaretur. Negotiò igitur nova discussione ventilatò optatissimus subsecutus est effectus; prodivit siquidem e Bellico Consilio nomine Imperatoris Rescriptum hujus tenoris: *Siquidem Dominus Generalis Equitatus opinionis est, quòd Patribus Trinitariis de Redemptione captivorum Albæ Julæ locus absque præjudicio pro parva Residentia possit concedi, ità etiam volumus ex parte nostra rebûs ità se habentibus, dum nimirum per hoc nec exterioribus, nec interioribus fortalicii fabricis nocumentum vel diminutio accrescat, hisce concessum haberi, poteritque post hæc ipsis Patribus ejusmodi locus assignari, & Nobis, uti factum fuerit, significari.* Vienna 8. Maji 1715.

1715.  
Causa suffi-  
minatur.

Resumitur.

Bellici Consi-  
lii favorabile  
Rescriptum.

Præses, Vice-Præses & Consilarii  
Aulæ Bellici.

III. His in Transilvaniam ad Steinvillem perlati Vir Excellentissimus ea protinus P. Redemptorî perscripsit, illique felicem rei successum sequentibus litteris est gratulatus:

*Admodum Reverende Pater.*

Cùm Excelsum Consilium Bellicum Residentiam pro Redemptione captivorum hic stabiliendam duxerit, idque Admodum Reverende Paternitati Vestræ, prout ex Litteris decimâ quintâ hujus exaratis intellexi, volui intimatum. Summò mihi erit gaudiò, si sacer Ordo, quò citius eò melius Personam idoneam mitteret, cum qua de assignando loco tractari posset, ne per proximè faciendam exigui spatii hujus Civitatis repartitionem, pejus aut inconveniens eis obveniat. Ego interim, vel maximè congratulor de pia hac resolutione, & si quid pro executione commodare potero, eò minus deero, quò magis me precibus commendatum cupio, & maneo

*Admodum Reverende Paternitatis Vestræ*

Paratissimus  
Stephanus Steinville.

IV. Has litteras postquam P. Redemptor accepisset, earum seriem protinus P. Mauro Commissario Generali communicavit, ut is tempestivè decerneret, quid porrò fieri vellet. Hic autem præmissa matura deliberatione P. Christophorum a S. Francisco,

In Transilva-  
niam mittitur  
P. Christophorus

1715.

pridem Excellentissimo Steinvilleo notum & probatum, qui sub idem tempus Magister Illaviae tyronibus instituendis operam navabat, in Transilvaniam ablegandum esse duxit, spe fretus minimè dubia, eum pro insigni sua prudentia cæteras quoque salebras, quæ etiamnum complanandæ supererant, facillimè sublaturum. Quamvis autem P. Christophorus recentes Ordinis plantulas ægrè desereret, lætus tamen de nova Domûs accessione Superiorum mandatis illico obtemperavit, assumptoque fratre Brunone a S. Felice die tertia Julii ratem, quarum magnus numerus Illaviam quotannis præterfluit, impigrè conscendit, & secundò Vagò decessus Danubium post aliquot dies ingressus est, continuatæque aliquamdiu in hoc flumine navigatione tandem terrestri itinere rectà in Transilvaniam contendit, ac denique decimâ quartâ mensis ejusdem Devam, quod est castrum Transilvaniæ, pervenit, ubi sub idem tempus Excellentissimus Steinvilleus expediendorum negotiorum causâ morabatur. Ab hoc benevolentissimè susceptus, jussus est subsistere, cum ille interea ad promovendum Foundationis successum omnem opem suam & studia polliceretur. Tribûs hebdomadîs Pater in hoc castro moram fecit, quibûs elapsis cum eodem Comite Sebeseum, vulgò Müllenbach perexit, Sacellani Domestici munere interim perfunctus.

Devam pervenit.

Causæ nostræ moras patitur.

V. Vix nostri in Transilvania comparuere, dum lividorum nonnulli, qui Ordinis incrementis adversabantur, sagaci nare odorari cœperunt, rem non esse de nihilo, sed agi de novo cœnobio Albæ Juliæ condendo. Etsi verò Pater animi sui sensâ cautè celaret, facilè tamen conjiciebant, minimè gratis, aut sinè latente causâ novos hospites advenisse. Hinc nostros passim apud plerosque in invidiam vocârunt, submurmurantiûs multis, angustum esse Præsidium, extare jam duos in urbe Conventus hominum Religiosorum, supervacaneum proinde videri post Patres Societatis JEsu & Ordinis Minorum novam Religionem in hanc civitatem introducere. Vetus cantilena! quam adversarii in omnibus ferè foundationibus ad ravim usque decantant. Hæc tamen dictæria Patrem non admodum anxium habuissent (qui satis sciebat, nullam esse fortunam sinè invidia, nec virtutem absque adversario) dummodò præiens negotium celerius processisset. Sed cum ille jam per aliquot menses vacua duntaxat spe se lactari cerneret, cum moræ tædebat, & longiorem cunctationem reputabat inutilem, re indiès magis in incertum abeunte, præsertim si repentinus casus ingrueret. Accessit pro malorum cumulo gravissima Patris ægritudo, quæ cum ad extrema magnis passibus devolvere videbatur; sic enim languebat, ut ne calamum quidem ad litteras formandas ducere valeret, ideoque fratris socii usus operâ, Superioribus Viennam per epistolas significavit periculum, in quo ipse, ac tota res versaretur: ad præcidendas autem moras, vel addendos stimulos opportunum fore arbitrâbatur, si ab ELEONORA Auguita Matre (a qua Pater sciebat Steinvilleum plurimum æstimari) ad eundem commendatiæ litteræ impetrarentur, quibûs causâ nostrâ urgeretur. Obtinere Patres Viennæ, quod

Et iam congraditur.

Pater gravi ægritudine laborat.

Negotium urgetur Litteris Augustæ Matris.

quod voluere, atque litteras Augustæ P. Christophoro in Transilvaniam misere, Steinvilleo tradendas. Scriptæ fuerunt idiomate Germanico, quæ in latinum versæ hunc sensum faciunt; 1715.

*Dilecte Comes Steinville.*

*Postquam Patres Trinitarii a Casarea Regia, & Catholica Majestate mei charissimi Domini Filii gratiosissimam Licentiam obtinissent Albæ Julię, Transilvanici Principatus civitate, religiosam Residentiam adificandi, in quem etiam finem decretorium Mandatum Casarei Consilii Bellici propter assignationem loci alicujus idonei & sustentationem aliquorum Religiosorum ad vos jam emanavit; Ego ad humillimas preces prefatorum Patrum Trinitariorum vobis hoc pium opus prolixius commendandum duxi, nihil ambigens, vos ipsosmet hujusmodi opus tanquam saluberrimum pro solatio captivorum institutum omni possibili modo & viâ protecturos, ejusdemque patrocinium nativa propensione suscepturos esse, quod mihi audire pergratum erit. In reliquo vobis permaneo Casaræis Gratiis præsertim addicta. Vienna 12. Octobris 1715.*

*Eleonora Magdalena Theresia.*

Has litteras Piissimæ Imperatricis cum P. Christophorus obtinisset, eas confestim ad Steinvilleum transmittit, ipse namque lectulo ex ægritudine sua etiamnum affixus hoc officium præstare minimè valebat.

VI. Incredible dictu est, quantò gaudiò ex hujus Epistolæ lectione delibutus fuerit Vir Excellentissimus: protinus igitur Patri jubet nunciari, bono esset animo, nec dubitaret se brevi desideriorum suorum compotem futurum. Exinde coeptum est de hac re magis seriò agi, clam tamen & alia sub specie. Post dies paucos Fladeum, Magistrum Equitum, Steinvilleus Albam Julianam ablegat, ut Domum Nicolai Comitis Betlenji, Jure militari a Casaræis olim occupatam, in suum adventum præpararet, quòd eam inhabitare constituisset, ubi quorundam negotiorum decidendorum causà eò esset profecturus. Cæterum Pater Albam Julianam nunquam vidit, utpotè, quæ ante ejus adventum nomen vetus exuerat, illudque in Carolopolim, usitatiùs tamen Carolinam transmutaverat. Instabat enim proximè dies quarta Novembris Divo CAROLO BORROMÆO Sacra, CAROLO VI. Augustissimo Principi nostro onomastica. Hæc dies solemnè Primi Lapidis collocationi, atque adeò novæ Civitatis & Præsidiij restorationi destinata fuerat. In hujus rei memoriam cusa sunt aliquot aurea argenteaque numismata diversi moduli sive magnitudinis, quæ in una facie repræsentant Fortalitiùm heptagonum, quod Aquila protensis alis obumbrat hoc adjecto lemmate TUTISSIMA QUIES. Subtus exhibetur bifidus canalis, Marusii & Apuli fluminum alveos conjunctos denotans. In adversa parte tria hæc Chronostica in eundem annum concepta leguntur.

Negotium nostrum scribatur.

Pro civitatis & Præsidiij Restoratione Præsentat Lapis ponitur.

1715.  
Numisma in  
memoriam.

LVCe saCra CaroLI sIMILes aLba aCCIpIt ortVs,  
In soLIDa PRIMVs ponItVr arCe LapIs.  
JVLla nota FVI, CaroLVs VIM robVr & aVXIt;  
JVLla sI Llibeat, nVnC CaroLIna VoCer.

Steinvillei  
ad P. Christo-  
phorum nun-  
cius.

Inde conva-  
lescit.

Domum pro  
hospitio re-  
net.

VII. Hôc memorabili negotiô peractô Steinvilleus Betlenia-  
nam domum suis inhabitandam reliquit, ipse verò Sebesum ad P.  
Christophorum properavit, cujus valetudo haud melius proce-  
debat, licet in Medico & medicinis nihil desideraret, cui omnia  
jussu & sumptu ejusdem Excellentissimi Comitis liberaliter sup-  
peditabantur. Postquam igitur Steinvilleus Sebesum attigisset,  
Patri nunciavit, Carolinæ amplam domum Ordini nostro tra-  
dendam ab se delectam fuisse; animaretur proinde, ac convalesce-  
ret, ut eam coram inspicere posset. Pater hōc nunciō exhilara-  
tus vires colligit, & gratias agens DEO de strato profilit non  
aliter, ac si cum languente negotio elanguisset, eo autem resflo-  
rescente ipsius sanitas pariter reflorisset, non sinè propria, &  
aliorum admiratione. Brevi igitur a morbo plenè recreatus die  
quarta & vigesima mensis Novembris cum Excellentissimo Gene-  
rali Sebesô Carolinam contendit, & ad Domum Betlenianam de-  
latus intröducitur, interrogatürque, ut hæc domus placeret?  
Pater ædium præstantiâ attonitus vix suis oculis satis credebat,  
& quid responderet, prorsus ignorabat. Hæc domus interim  
Ordini nostro pro hospitio assignata fuit, donec ejus possessio  
ab Imperatore solemniter confirmaretur, quô Patri nihil opta-  
tius accidere potuisset. Cætera porrò, quæ deinde subsecuta sunt,  
consultò in annum sequentem differrimus, ubi de illis tanquam  
in proprio loco tractabitur.

## C A P U T II.

### *Pro Redemptione captivorum per urbes Romani Imperii eleemosynarum Collectio instituitur.*

Bellum ab O-  
riente immi-  
net.

Refragante  
Murtio.

Turcius Ora-  
tor Viennam  
mittitur.

I. Eòdem annò hujus sæculi decimò quartò ab Oriente Christia-  
næ Reipublicæ bellum imminebat; nuncii siquidem By-  
zantiô allapsi omnia apud aulam Ottomanicam inquietis motibùs  
fervere asserabant. Abundabat eo tempore Turcicum Imperium  
viris & opibùs, victoriæque nuper ad Prutum fluvium contra  
Moscos relatâ & dictatis pro arbitrio induciarum legibùs nihil non  
Odrisiis armis cessurum jactabant. Vezirius aridentis fortu-  
næ lenociniis elatus Hungariam Italiámque invadere decreverat,  
erepturus CAROLO, quæ LEOPOLDUS Ottomanorum Impe-  
rio armis victoricibùs extorserat. Reclamabat Murtius summus eor-  
um sacrificulus, negabátque fas esse, sanctè stipulatas inducias  
violare. Nihil hīs motus Vezirius, cum Cæsarem rectâ aggredi  
formidaret, Rempublicam Venetam suo furori destinat, quam  
ut securius attereret, néve consiliis Cæsar intercederet, Oratorem  
Viennam ablegavit, qui pactas inducias firmaret, & Imperatori  
persua-


persuaderet, Orientis iras in Venetos duntaxat effusum iri. Hæc inter Turcæ Peloponesum aggressi, Tinum Insulam, ac prætereà Corinthum, Naupliam, Methonem cum universa Morea velut ruptis aggeribûs eluvione quadam absorbuerunt. Cæsar ne suis partibus deesset, per internuncios apud Portam Ottomanicam conquestus fuit de violatis induciis, egitque de ablatorum restitutione, de pace ad præfinitum tempus restituenda. At Turcæ, qui secundissimo victoriarum cursu jam intumuerant, ad hæc omnia absurduerunt, inanibûsque verborum ludificationibûs perspicuè ostenderunt, sibi propositum esse deviâs Venetis arma Pannoniæ inferre, acceptâsque aliquando clades & damna resarcire. Minimè latuerant Cæsarem vafra Turcarum molimina: dimisso itaque circa Septembris initium Oratore Turcico universas curas suas ad bellum convertit, & quod reliquum erat anni, totâque hyemem in apparatu expeditionis tanta sollicitudine consumpsit, ut sub proximi veris initium centum & sex millia militum in aciem eduxerit.

II. His P. Redemptori ob oculos versantibûs certum habebat, ipsum quoque Romanorum Imperatorem bello Turcico involutum iri: quamvis autem minimè dubitaret, nostros auxiliante DEO plurimas a Barbaris victorias reportaturos, attentis tamen dubiis præliorum eventibûs facile conjiciebat, fieri non posse, quin perpetuas inter victorias non pauci Christiani in lugubrem servitutem abripiantur: statuit proinde media conquirere, quibûs eisdem maturè succurreret, ne, quos fors adeò misera corripere, longam ætatem inter captivitatis ærumnas exigere cogerentur. Hinc cum observasset, quantò operæ pretiò ante postremam Redemptionem in Moraviam Silesiamque stipis corrogandæ gratiâ excurrisset, decrevit nunc ob eandem rationem alias quoque Germanici Imperii Provincias adire, & quæcunque posset subsidia pro captivorum Christianorum Redemptione colligere. Re Augustissimo Imperatori proposita, litteras ab eodem impetravit ad Electores Principes Ecclesiasticos & Sæculares, Episcopos, Abbates & Sacerdotum Collegia, cæterosque urbium Magistratus, quibûs universi ad suppetias ferendas, & boni hujus operis participationem provocabantur. Obtinuit etiam a quibusdam amicis suis ad alios eorum amicos commendatitias epistolas, quibûs ille instructus assumpto fratre socio per urbes & oppida Imperii frequenter etiam ostiatim (adeò ille nihil lassitudini indulgere, aut laboribus parcere solebat) eleemosynas pro Redemptione captivorum corrogabat, imò & ipsos quoque acatholicos sæpe numero pro lytro contribuendo interpellabat; qui non inferiori charitate in tam pii operis effectum largam stipem contulerunt. Hoc institutum Pater tenuit per totam sequentem hyemem non sinè magno Redemptionis emolumento.

1715.

Omnia ad bellum spectant.

P. Redemptor per Imperium eleemosynarum Collectionem instituit.



1716.

## CAPUT III.

Obitus Excellentissimæ Matris nostræ Domine  
Joannæ Theresiæ Comitissæ Harrachie.Luctuosus hic  
in principio  
annus.S. Hieronymus  
in Epitaphio  
Paulæ Matris.Patria & Pa-  
rentes.In Aula Hi-  
spanica Regi-  
næ ab obse-  
quiis.Matrimo-  
nium.Castum, felix  
& secundum.

I. **A**uspiciamur annum Divinæ Conciliationis millesimum sep-  
tingentesimum decimum sextum in principio lugubrem,  
lætiorum autem progressu, in fine varium. Luctuosus nobis incubuit  
mensis Februarius, dum Ordinis, ac præsertim hujus nascentis Pro-  
vinciæ Mater Excellentissima Domina Joanna Theresia Comes ab  
Harrach nostrum firmissimum Præsidium, Gloriosum Decus, &  
dulcissimum in adversis solatium exuta mortalitate ad immortali-  
tatem transiens temporalem hanc vitam æternâ, & beatâ, ut piè  
credimus, in cœlis commutavit, DEO pro meritis fructura. Illi  
profectò fors beata obtigit, nos meritò luctus opplevit. Quis  
enim optimæ ac desideratissimæ Matris jacturam non lugeat? Con-  
solantur nos tamen verba S. Hieronymi in Epitaphio S. Paulæ  
Viduae Romanæ, ubi ad nostram doctrinam sequentia verba le-  
guntur: *Non mœremus, quòd talem amisimus, sed gratias agimus, quòd  
babuimus, imò habemus. DEO enim, & quidquid revertitur ad Domi-  
num, in familia numero computatur.* Nec tamen istud nunc agimus,  
ut laudes ejus in panegyrim congeramus, quibus propositum est,  
Historiam duntaxat succinctò calamò adornare: plurimè itaque  
encomiis prætermisissis, quæ ei jure meritissimo deberentur, pau-  
cè solum lineis circumductam tantæ Domine & Matris nostræ  
imaginem, ad perennandam ejus in omni ævum memoriam osten-  
demus.

II. Nata est Viennæ Domina Joanna Theresia die vigesima  
nona mensis Decembris annò millesimò sexcentesimo trigésimò  
nonò Patre Maximiliano Comite de Lamberg, cujus Prosapia nunc  
inter Sacri Romani Imperii Principes relata fuit; Matre Illustris-  
sima Domina Juditha Rebecca Comite de Würben Matronâ non  
minus virtutis, quàm nobilitatis commendatione præstantissimâ,  
quæ & Filium enixa est Joannem Philippum postea Cardinalem  
a Lamberg, Principem Episcopum Passaviensem, Doctrinâ celeberrimum  
& Legationibus clarum. Ipsa verò Filia Joanna Theresia  
nostra ad omnem pietatem (quæ sequioris sexûs decus est præci-  
puum) a teneris instituta, postquam adolevisset, in Aulam Sere-  
nissimæ Reginæ MARIÆ ANNÆ Sororis LEOPOLDI Cæsaris, &  
PHILIPPI IV. Regis Catholici Lectissimæ conjugis accersiri me-  
ruit, ubi morum probitate non minus ac formæ venustate inter  
cæteras nobiles Aulæ Virgines enituit. A Ferdinando Bonaven-  
tura Comite Harrachio, eo tempore in Hispaniis Cæsarei Oratoris  
partes sustinente, in connubium expetita, cum eodem post exa-  
ctam Legationem in Austriam rediit, dignitatum & honorum,  
quos Maritus ejus Comes in Aula Cæsarea suis amplissimis meri-  
tis obtinuerat præcipuos, ex asse particeps. Ut castum, ita fec-  
cundum & felix fuit ei matrimonium: sex Liberos sanctè educa-  
vit, Filios nimirum quatuor & duas Filias. Primogenitus Carolus  
in



1716.

in oppugnatione Budæ Heroam animam pro Christiani Orbis incolumitate efflavit. Secundus Franciscus Antonius DEO & Ecclesiæ se dedicavit, primùm Canonicus Salisburgensis, deinde Passaviensis Ecclesiæ Præpositus & Vicarius Generalis, inde Princeps Episcopus Viennensis, ac tandem etiam Archi-Episcopus Salisburgensis renunciatus, in hac ultima dignitate sanctè decessit. Tertius Thomas Aloysius cum Patre clarus Legationibus nunc Archi-Ducatus inferioris Austriæ Magister, (Mareschallum vocant) & non pridem Emeritus Pro-Rex Neapolis. Quartus Filius Josephus Ordinem Marianum Teutonicorum Equitum professus ob insignem rerum militarium peritiam Belli-Dux Cæsaris nunc arma moderatur. Filiarum una Domina Josepha Kienburgi Comitissæ nupta fuit, altera, Domina Rosa, Principi de Longavalle matrimonio sociata, nunc viduam agit. Hæc Madriti in Hispania die vigesima tertia Februarii annò millesimò sexcentessimò septuagesimò quintò, cum Pater ejus ibidem Cæsarea Legatione fungeretur, feliciter nobis nata est: cujus in baptismo susceptorem Excellentissima Mater ejus pauperem Ordinis nostri fratrem, Martinum a Spiritu Sancto dictum, esse voluit, ut superius jam indicavimus; ex quo singularis deinceps Nobilissimæ Matronæ in Ordinem nostrum Trinitarium devotio & affectus adhæsit, tantis temporum tractu incrementis auctus, ut non dedignaretur se Matrem nostram vocare, nos autem filios suos dicere, quos Sanctissimæ TRINITATI beneficiis suis ad multorum salutem genuerat.

III. Postquam parere desiisset, accidit fortuitò, ut nostros Religiosos, cum in Regnum Poloniæ Ordinis ibidem implantandi causâ proficiscerentur, & Viennam, quod itineris ratio postulabat, transirent, in S. Petri Apostolorum Principis Templo conspiceret. Incaluit subitò, charique quondam in Hispania Ordinis memor Patres nutu ad se vocavit, invitavitque in domum suam. Comparuerunt illi, quibus Excellentissima Comes post varia colloquia narravit, filiam suam Madriti a Fratrem quodam Ordinis nostri e Baptismo susceptam fuisse, seque conceptum tunc erga sacram Religionem nostram amorem etiamnum in præcordiis fovere, unicæque optare, ut eum operibus & beneficiis contestari valeret. Et illa quidem cumulatissimè postea præstitit, quod sibi tunc in desideriis esse profitebatur; profusâ siquidem beneficentiâ Ordinem nostrum semper prosecuta, ei nunquam ope (ut ex superioribus clarissimè elucescit) favore aut gratiâ defuit. Nos sanè, dum ingenuè fatemur, impares nos esse debitis gratiis persolvendis, junctis precibus nunquam orare desinemus, ut Clementissimus DEUS, bonorum omnium largissimus Remunerator, ei totique ejus Nobilissimæ Posteritati præter sempiternam in cælis gloriam centuplum etiam juxta fidelem suam promissionem in hoc mundo reddere velit.

IV. Post Excellentissimi Mariti sui ex hac vita decessum, sic planxit eundem, ut DEI voluntati velut unicæ sui cordis cynosuræ se exactissimè conformaret: reliquum proinde vitæ suæ tempus pietatis duntaxat operibus & Cœlestis Regis obsequiis dedicavit,

Kkkkkkk

per

Primus cum nostris Viennæ occursum.

Ejus in Ordinem studia.

Ejus pietatis exercitia, & in vindicte vivendi norma.

1716. per decennium ferè vidua. In hoc illa statu tempus antemeridianum precibus consecravit, solita etiam unam quotidie horam audiendis libris spiritualibus, quos illi nostrorum aliquis prælegere consueverat, religiosè impendere; postea Missæ Sacrificio devotissimè adstitit. A Sæculi pompis, ab instituendis & frequentandis conviviis prorsus deinceps abstinuit frugali domi contenta prandiolo. Post meridiem aut preces resumpsit, vel amicorum visitationes admisit, magnaque tranquillitate, quiete ac pace domi semper egit. Subinde per ætatem serenò cœlò recentioris auræ captandæ gratiâ in Cœnobii nostri viridarium progressa (speciali namque hęc privilegiò a Generali nostro Definitorio fuerat donata) spirituali nostrorum colloquiò delectabatur. Et hæc ferè fuit ejus vitæ norma, præter multa alia pietatis exercitia, soli DEO nota, hominibus autem incognita, quæ sibi fecit familiaria.

Egrotat.

Perceptis ritibus  
Sacramentis  
obit 2. Feb-  
ruarii.

V. Annò demum hujus Sæculi decimò sextò inclinante Januario vires sibi deficere animadvertit, intellexitque subitò Domini vocem ad æternitatem vocantis. Susceptis proinde Ecclesiæ Sacramentis (supremas enim Testamenti Tabulas jam pridem condiderat) se ad exuendam vitæ mortalitatem Christiano more comparavit. Tandem secunda die mensis Februarii sacra in luce Luminum, quâ in Solymæo Templo Incarnatus DEUS Virgineis Sanctissimæ Genitricis suæ brachiis Æterno Patri quondam oblatu fuit, circa Solis occasum, Religiosis nostris pluribus assistentibus, precésque ac verba salutis inspirantibus animam suam in manus tradidit dilecti sui Creatoris, nosque Dulcissimâ suâ præsentia orbatos pupillos & orphanos reliquit.

Funeris apparatus.

Solemni anniversario &  
15. facris ejus  
memoria do-  
tata.

Vestis ejus  
pretiosa nostro  
Templo  
donatur.

Concio fune-  
bris.

VI. Exanime corpus vestibus Sanctimonialium Ordinis nostri amictum (sic enim vivens statuerat) in eminentiore pegmate inter multa lumina & funalia dormientis ad instar jacuit, Religiosis nostris alternatim sibi succedentibus, & per omne id tempus diu noctuque ad corpus Desideratissimæ Matris vigilias celebrantibus. In Templum Aulicum, quod est Excalceatorum Eremitarum S. Augustini delata, ibidemque in sepulchro Majorum condita requiescit IN PACE. Cæterum licet in Templo nostro tumultata non fuerit, Anniversarium tamen solemne Sacrificium cum aliis quindecim Missis pro animæ suæ refrigerio celebrandis assignato censu fundavit. Præterea vestimentum pretiosissimum, aureis filis majorem partem intertextum, quod in perpetuo lactu vidua in solemnioribus Aulæ Viennensis diebus quandoque deferebat, nostris donavit, ut ex ea Sacer ornatus pro Ministris Altaris hujus nostri Templi Viennensis conficeretur, qui etiam in dicto solemnii Anniversario & die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum solet adhiberi. Vixit annos sex & septuaginta, mensem unum dies quinque. Hęc annò, in quem commentamur, die vigesima secunda ejusdem mensis Februarii in signum gratitudinis pro anima nostræ Beneficentissimæ Matris Solemnes Exequiæ cum laudatione funebri, quam P. Joannes a S. Agnete e superiore loco proposuit, in nostra Ecclesiâ peractæ fuerunt.

## CAPUT IV.

1716.

*Carolinæ in Transilvania Liberalitate CAROLI  
VI. Romanorum Imperatoris Domus Ordini nostro  
fundatur.*

I. **C**arolinæ Domum Steinvilleus inhabitabat non tam nomine suo, quàm ut nostros post obtentam Cæsaris facultatem, quam proximè superventuram sperabat, in ejus possessionem introduceret, in quem ille finem nostris consiliò & operâ semper adfuit. Pupugit ea res vehementer adversarios, & bilem in jecur misit, non tamen contra hiscere, aut mutire sunt ausi, Virum Præpotentem veriti, quem irritare cavebant. Sed cum nostros adhuc in silentio & spe degerè observarent, audentiores facti, per se, & emissarios suos conati sunt urbis primores in nos concitare, quod ut certius consequerentur, circumcursarunt affiduè ædes quorundam, eorumque benevolentiam sibi conciliatam nostros sexcentis convitiis & calumniis onerarunt, in hoc unum intenti, ut nostros quibuscunque demum artibus Præsidio illo expellerent, & in aliud Transilvaniæ oppidum retruderent. Erant nonnulli, qui mira vafricitie & calliditate se amicos nostros simularent, & tali larvâ personati effictim suaderent, ut hóc locò relicto in aliam urbem, ubi majora nobis commoda obventura prædicabant, ultro migraremus. Sed ad tales cantilenas nostri prorsus obsurduerunt, id unicum importunis interpellatoribus respondentes: futurum, quod DEO & Cæsari placuerit. Cùm itaque has technas suas non satis procedere viderent, ad alias conversi sunt; unus enim illorum, quem obfirmatus nostrorum & locò moveri nescius animus in rabiem propemodùm egerat, palam minabatur, se tantas nobis molestias illaturum, ut domus illius habitatio nobis in nauseam sit ventura. Terrebarur his, ignari qualiter hominem sui jam impotentem ad æquiorem mentem revocare possemus: Verùm DEUS, qui suorum curam semper gerit, haud permisit, ut, quod ille animò conceperat, opere compleret. Post breve siquidem tempus morte repentina sublatuS terrere, ac minari desiit. Id ipsum accidit alteri, qui nostros ita abominabatur, ut nec propè domum eorum habitare voluerit. Hic aliquando nostros contumeliis licentiùs inceserat, sed paucis post diebus valetudine graviter tentari cœpit, nec tamen malum, quod erat, suspicatus, cùm nocte largius cœnasset, altera die inventus est in lecto exanimis, tanto majore omnium pavore, quòd supremum diem obierit nullis Ecclesiasticis Sacramentis ad viam æternitatis munitus in domo viginti vix passibus a nostra Residentia sejuncta, nec Religiosis, a quibus tam pertinacè odiò dissidebat, reconciliatus. Cæteri mitiores exinde redditi abdicatis inimicitibus nobiscum in gratiam redierunt, seseque deinceps benevolos Ordinis fautores, & sinceros amicos exhibuerunt.

II. Interim Steinvilleus ad nuperum Consilii Bellici Rescriptum (quò nobis in Transilvania Residentia concedebatur, ita

Machinationes adversariorum.

Manifesta in quosdam DEI vindicta.

Steinvillei arbitrium ad Excelsum Bellicum Consilium.

1716. men, ut dictus Comes aptum pro ea locum exquireret, ejusque situm Bellico consilio intimaret, quatenus matura deliberatione praemissa decerneret, quid sibi optimum videretur) his verbis respondit: *Postquam Patribus Trinitariis de Redemptione captivorum ad manifestum commodum in durissima servitute suspirantium Christianorum Ordinis Residentiam, in sic nuncupata Civitate Carolina institui clementissimè concessum fuisset, atque mihi ad hunc finem loci designatio Rei Militari non praedudiciosa ab Inclyto Casareo-Aulico Bellico Consilio fuisset demandata; itaque ad promotionem hujus saluberrimi propositi ruinosam, & ex Fortificationis sumptibus aliquomodo renovatam Bezenianam domum obsequentissimè proponere debui, eò magis, quia per hanc pro destructa ratione Fortificationis Ecclesia S. Michaelis Archangeli Omnipotenti DEO beneplacens compensatio fieri, & Sacrae Casareae Majestatis intentio eò dirigi posset; Salva aliorum Auctoritate, meo pro arbitrio est hoc sanctum opus, ubi honor DEI & proximi salus procuratur, ita affectum, ut ex se ipso facile Clementissimam approbationem possit efficere. Quibus me ad summos favores commendo*

*Claudiopoli 24. Januarii 1716.*

*Stephanus Steinville.*

Arbitrium ex-  
probatum.

III. Ad diem vigesimam quartam mensis Martii ab Excelso Consilio Bellico, quod nostri unicè in votis habuerant, arbitrium Excellentissimi Steinvillei comprobatum fuit, cujus assensu in Transilvaniam delato die tertia Maji, quâ Festum Inventionis S. Crucis celebratur ante dictam domum salutiferum Redemptionis nostrae signum, & praesentissimum adversus invidiae tabem antidotum, praesalta nimirum Crux erecta fuit. Porro P. Christophorus, ut profanam nunc domum quantocyus in Religiosam converteret, sollicitudinem suscepit de Sanctissimo Sacramento ædibus jam nostris inferendo. In hunc finem, postquam idoneum locum in eis delegisset, & extructam ibidem aram decenter exornasset, ab Episcopo Transilvaniae licentiam flagitavit Sanctissimam Eucharistiam domi asservandi. Nec aspernatus est Episcopus supplicis preces, sed petitam facultatem ei confestim hac verborum formâ in scriptis transmissit:

Cruz ad do-  
mum erigitur.

ni sicutum  
180 m. b. m.

Faculas affer-  
vandi San-  
ctissimum im-  
petratur.

*Nos Georgius Martonfi Liber Baro de Karczfalva, DEI & Apostolicae Sedis Gratiâ Episcopus Transilvaniae, Praepositus Orodien-  
sis, & S. Stephani Proto-Martyris de Castro Strigoniensi, Venerabilis Capituli Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis Canonicus, Inclyti Comitatus Albenfis in Transilvania Supremus Comes, Sacrae Casareae Regiaeque Majestatis Consiliarius, Omnibus & Singulis has inspecturis Salutem in Domino. Cum Summa sit ratio, quae pro pietate & religione facit, ut ad ea, quae tendunt ad Divini Cultus augmentum & Gloriam DEI promovendam proni esse debeamus. Ideo exauditis precibus Reverendorum in CHRISTO Patrum Ordinis Sanctissimae TRINITATIS de Redemptione captivorum,*

*consi-*

consideratisque per eosdem Reverendos Patres in hac Transilvania Provincia, Turcis vicina, e tyrannica potestate Christianos captivos commodissimam eliberandi dari occasionem, aliisque justis de causis animum nostrum dignè moventibus, iisdem Reverendis Patribus Ordinis Sanctissima TRINITATIS in Diocesi nostra Transilvaniensi Albæ Carolinæ Ecclesiam edificandi & construendi sub titulo Sanctissima TRINITATIS, salvis tamen & reservatis Juri- bus Parochialibus & Episcopalibus Authoritate nostra Ordinaria facultatem concedimus, & pro Expositione, Conservatione sacro-sanctæ Eucharistiæ Sacramenti Licentiam impertimur, cum hac tamen expressa conditione, ut pro conservatione fabricæ, Ecclesiæ item sartis tectis, nec non supellectilibus & ornamentis altaris & Missæ sacrificiis juxta Sacrorum Canonum & Conciliorum Constitutiones competens Dos perpetuò designetur, Ecclesiæque construenda habeat januam in via loco publico pro commoditate accedentium CHRISTI Fidelium. In quorum Fidem has Nostras Sigillò nostrò munitas & manûs subscriptione roboratas extradedimus Litteras. Albæ Carolinæ in Residentia Nostra Episcopali die vigesima octava Maji An- nò millesimò septingentesimò decimò sextò.

Baro Georgius Martonfi,  
Episcopus Transilvaniæ.

IV. Hac Licentiâ impetratâ collocationi Sanctissimi Eucha- ristia Sacramenti præstituta fuit dies septima mensis Junii, quæ eò annò incidit in Dominicam & Festum Sanctissimæ TRINITA- TIS, Sacri Nostri Ordinis Titulare. Ut autem hæc dies omni pos- sibili solemnitate celebraretur, P. Christophorus primus in serie hujus Domûs Præses benè manè Sacrificium Missæ peregit, sub quo Venerabile Eucharistiæ Sacramentum consuetis ritibus Sacra- rio imposuit, ibidem perpetuò asservandum. Horâ ejusdem diei decimâ adfuit ipse Reverendissimus & Illustrissimus D. Georgius Martonfius Episcopus Transilvaniæ, qui Pontificalibus vestimentis ornatus assistentibus Ministris cum Expositione Sanctissimi Sacra- menti sub exquisito Musicorum concentu Sacrum solempne decan- tavit, datâque populo Benedictione nobilem hunc actum ad finem deduxit. Sacris peractis omnes ad prandium concesserunt, quod idem Episcopus in hac novella domo nostra oppiparum sanè, lau- tùmque parari jussit, invitatis præcipuis urbis & Præsidii Viris, qui- bus amicè convivantibus inter mensæ colloquia abolitæ sunt ve- teres inimicitia, invidia, odia & simultates, tanta animorum mu- tatione, ut etiam illi, qui se priùs nobis adversarios exhibuerant, in sincerissimos amicos nostros transirent, seseque fratres ac fau- tores Ordinis non tantum inanibus verbis, sed officiosis etiam operibus & largis donis profiterentur. Quamvis autem multi in- signes Viri huic celebritati interfuerint, Excellentissimus tamen

Collocatus  
SS. Sacramen-  
tum.

Solempne Sa-  
crum.

1716. Comes Steinvilleus præcipuus hujus Domûs Promotor, quem urgentissima negotia Devæ attinebant, licet id maximè cuperet, adesse non potuit; præterea continuati imbres sub idem tempus vias omnes fœdaverant, & aquarum inundatione avidis etiam viatoribus sufflamen injecerant: nihilominus ubi Carolinam reversus cuncta ex ordine cognovit, impendiò gavissus fuit. Exinde P. Præses amicorum opibus adjutus novis murorum structuris cœpit domum augere, eamque ad usum vitæ regularis redigere, reparare & ornare.

A Cæsare Domus dotatur.

V. Restabat nunc unica cura de dote Ecclesiæ impetranda, ut Episcopi dispositioni, quam superius retulimus, satisfieret. Ad hunc finem consequendum fautores nostri in Transilvania varia Consilia suggesserant: verum illis inter se de hac re acriter consultantibus P. Redemptor, qui tunc Viennæ agebat, eos suâ diligentia antevertit, dum nemine consulto Augustissimum CAROLUM VI. Imperatorem Nostrom adivit, oblatoque Libellò supplici rogavit, ut Sua Majestas pro tribus Religiosis nostris Carolinæ sustentandis foundationem assignare dignaretur. Parcè petere voluit vir religiosus a Liberalissimo Cæsare, ampliora conferre parato. Neque mora! Clementissimus Princeps, ut Patris preces intellexit, eis confestim annuit, Litterasque exarari jussit ad Supremum in Transilvania Annonæ Præfectum, quibus non solum stabilem pro tribus Religiosis alendis censum, verum etiam certam pecuniam pro Ecclesiæ necessitatibus sublevandis, quod P. Redemptor non postulaverat, nostræ Residentiæ Carolinæ quotannis persolvi mandavit. Litteras illas Cæsarei Favoris huic loco attexere volui, ut essent perenne Austriacæ Pietatis monumentum. Ecce illas.

*Nostro Fideli Charo Ignatio Hann, Nostro Consiliario & Supremo Annonæ Commissario in Transilvania.*

**CAROLUS VI. DEI GRATIA ROMANORUM Imperator semper Augustus, Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ Rex.**

*Chare Fidelis, Nos ad humillimam Supplicationem Patrum Ordinis Sanctissimæ TRINITATIS Discalceatorum de Redemptione captivorum, & superinde Nobis a Nostra Aulica Camera submississimam propositionem, & quidem principaliter ad promovendum DEI Honorem, Solatium etiam & auxilium in Turcica & Tartarica servitute gementium Christianorum Clementissimè resolvimus, præfatis Patribus Trinitariis supra ipsis Carolina in Nostro Principatu Transilvaniæ assignandi de mandatam etiam jam resignatam habitationem ad intertentionem trium Religiosorum ibidem deinceps ex Ordine ipsorum constanter subsistendarum Personarum annuè sexcentos florenos,*

*&*

prætereà ad facilitandas pro quotidiano DEI cultu & Ecclesie occurrentes necessitates, etiam conservationem fabricæ habitationis adhuc a parte ducentos florenos, simul itaque annuè octingentos florenos ex Nostra Transilvania Perceptoriatûs Cassa erga toties competentem quietantiam dari debere. Mandamus tibi itaque hisce Clementissimè, & Volumus, ut hanc Nostram Clementissimam Resolutionem debitè ad Notam accipias, & ulterius superinde promoverè & observare debeas: Quia in eo fit Nostra Voluntas & Intentio. Datum in Nostra Civitate Vienna, undecimâ Julii, Annò millesimò septingentesimò decimò sextò, Nostrorum Regnorum Romani Quintò, Hispaniarum Decimò tertio, Hungariae & Bohemiae Sextò.

*Carolus.*

*Ferdinandus Ernestus Comes a Mollarth.*

*Ad Mandatum Sacrae Caesareae & Catholicae  
Hungaricae Regiae Majestatis*

*A. E. Pefchovitz.*

*Joannes Georgius Strobel ab Adelheim.*

## CAPUT V.

*Situs Cœnobii Pofoniensis pro ædificando ibidem  
Templo accessione Veteris Cœmeterii & intermediae  
plateae ampliatur.*

I. **P**ERARDUM aliquid hòc annò Pofonii tentatum fuit, quod non modò valde difficile, verùm etiam impossibile plerisque videbatur, nec nobismetipsis credebamus, imò nec res fidem apud posteros foret habitura, nisi nunc palàm esset, & ante omnium oculos versaretur, quod præter expectationem factum fuit. Sed ut difficultas hujus moliminis clariùs elucescat, libet rei seriem ab ipsis initiis ordiri. Pofonii vetus erat cœmeterium (quod sibi acatholici a sæculo, & quod excedit, arrogaverant) nostro Cœnobio vicinum, utpotè quod intermediâ duntaxat plateâ ab eo dispecebatur. Seniores Civitatis affirmant, ibidem antiquitus stetit Magnificum (ut fundamenta magnæ molis sub terra reperta etiamnum testantur) S. Michaëli Archangelo dedicatum Templum, a quo proxima urbis Porta suam sumpsit denominationem, unde colligitur Templum illud eâ urbis portâ multò antiquius fuisse. Nostris temporibus præter effossa rudera sacrae ædis nullum extabat vestigium, ut sunt rerum quamvis sacrarum vicissitudines, quæ diversis occasionibus surgunt & concidunt. Constat etiam Majorum testimoniis, & facta solerti inquisitione

Cœmeterium  
Pofonii juxta  
nostram domum,  
quibus publica  
platea intercurrit.

Olim hie  
Templum S.  
Michaëlis.

1716. Cœmeterium illud, post exortam in Hungaria Religionis mutationem, Catholicis æquè ac Acatholicis fuisse commune, sed postea, quod illi cum his promiscuè sepeliri execrabile ducerent, penès solos sectarios usum sepulturæ remansisse nullo alio jure, quam consuetudinis, ita ut Lutheranorum Cœmeterii agnomentum pridem obtinuerit, quibus etiam penès nostram domum & illud cœmeterium transeundum erat, quoties fanum suum, vel scholas adire vellent.

Nihil nostri unquam de cœmeterio tentare cogitarunt.

Primum Consilium ad postulandum Cœmeterium.

Aperitur paucis desiderium.

Modus inquiritur, quò cœmeterii postulatio sit auspicianda.

II. Annis superioribus, cum nostri ad construendum Ordinis Templum curas omnes convertissent, nihil eis unquam de consequendo, sed ne de prætendendo quidem illo Cœmeterio in mentem venerat, præcipuè quia juxta domum nostram via publica intercedebat, & ab hominibus diversæ fidei nil nisi pudendam & ignominiosam repulsam expectare licebat. Si quis igitur prius hujus rei mentionem injecisset, imprudentia ejus risu & ludibriò fuisset excepta. His nihil obstantibus (factum audax, sed felix) Vespriemiensis Episcopus, D. Otto Joannes e Comitibus de Volckra, nostros clam remotisque arbitrīs admonuit, ut tentarent, si quid proficere possent: suggestit etiam vias, modosque, quibus hæc postulatio instituenda foret, asserens, solis precibus nemini violentiam inferri, & sicut cuivis integrum est negare, ita omnibus fas esse orare. Latebant hæc aliquamdiu inter arcana, in nostris tamen post hanc Optimi Præfulis admonitionem augebatur quotidie optandæ magis, quam sperandæ rei desiderium. Præterea non decere videbatur, ut in conspectu nostræ Ecclesiæ locus esset pro illis sepeliendis, qui pertinacibus odiis a Sancta Fide Catholica diffidebant, quod tamen hucusque non sine aversione crebrius spectare debuimus. Tandem res processit ulterius, & imprimis paucis quibusdam ac fidissimis amicis, de quorum integritate ac prudentia nobis satis constabat, secretum nostrum desiderium patefecimus, qui licet situs utilitatem apertissimè viderent, terrebantur tamen immodicis & propè invincibilibus difficultatibus, quas adversus hoc propositum consurrecturas non ignorabant. Verùm hæc omnia efficere nequiverunt, ut nostri animos penitè desponderent, sed ex ipsis obstaculis animosiores effecti cœperunt modos excogitare, quibus res absque famæ discrimine, vel jactura honoris proponeretur: rei autem eventus Bonis Superis relinqueretur.

III. Amici nostri ante omnia opus esse censebant, ut Virum aliquem plenæ auctoritatis nobis conciliarem, qui patrocinium hujus causæ in se susciperet. Pisonii sub idem tempus publica Regni celebrabantur Comitia, quibus frequentissimi Regni Proceres, Summa Ecclesiarum Capita, alique Viri spectatæ Nobilitatis intererant. Aptissimum nostris hoc tempus videbatur ad sua arcana Consilia in lucem proferenda, quam illi occasionem prætermittere nolebant; Fronte enim, ut ajunt, capillata est, a tergo occasio calva. Deligitur in hunc finem Eminentissimus & Serenissimus Dux Saxonie, Christianus Augustus, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Archi-Episcopus Strigoniensis, quòd omnes certum haberent, negotium istud facile confectum iri, si tanti Principis

Aucto-



Auctoritate succollaretur. Ad hunc itaque Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Otto Joannes Baptista e Comitibus de Volckra, Episcopus Vesprimiensis concepit Libellum supplicem, doctum perinde, ac elegantem, quò causas omnes & rationes facundissime complexus est, quibùs Eminentissima Sua Serenitas ad eisdem negotii Patrocinium suscipiendum permoveri posset. Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Gabriel Antonius Comes Erdœdius, Metropolitanæ Ecclesiæ Strigoniensis Præpositus Major ad pridie Kalendas Octobris in luce sacra Divi Hieronymi Doctoris Maximi, quæ in Dominicam eò annò inciderat, Cardinali Duci Saxonie & Archi-Episcopo suo lautissimum in nostro Cœnobio suis sumptibus jussit apparari convivium, specie quidem Natalem Augustissimi Imperatoris & Regis Apostolici CAROLI VI. pridiana solemnitate celebrandi, reapse tamen Serenissimum Cardinalem præsentis causæ conciliandi. Ad hoc epulum pariter invitavit nobilissimos quosque ex utroque Statu Regni Proceres, qui tunc Pofonii exitebant. Juvat honoris causâ quorundam nomina referre, ut tota posteritas tantorum virorum demissionem suspiciat, qui non dedignati sunt humile nostrum triclinium subire. Aderat itaque præter Serenissimum Archi-Episcopum Strigoniensem Emericus Czakius, Archi-Episcopus Coloczensis, postea S. R. Ecclesiæ Cardinalis creatus, Ladislaus Adamus Comes Erdœdius, Frater Gabrielis Antonii, Episcopus Nitriensis, Sigismundus Comes Kolloniczius, Episcopus Vaciensis, deinde & Vientium Episcopus, hodie eorundem Primus Archi-Episcopus & S. R. Ecclesiæ Cardinalis, Emericus Comes Estorasius de Galantha Episcopus Zagrabiensis, & modernus Archi-Episcopus Strigoniensis, Otto Joannes Baptista Comes Volckra, Episcopus Vesprimiensis, nostræ Causæ Orator, Gabriel Antonius Comes Erdœdius, Metropolitanæ Ecclesiæ Strigoniensis Præpositus Major, & Convivii hujus Symposiarcha, nunc Episcopus Agriensis. Præterea Comites Erdœdii, Estorasii, Kolloniczii, Palsii cum aliis pluribus Regni Magnatibus. Magni sanè Hospites! Par Hospitibus Convivium, in quo de re maximi momenti tractandum erat.

IV. Convenerat tamen inter amicos nostros, ut sub initio convivii nulla hujus rei mentio injiceretur: appositis itaque dapibus omnes hilariter confederunt, variis sermonibus motis propositum suum sapienter dissimularunt; ast remotis ferculis cum bellaria secundæ mensæ illata fuissent, tunc enim Otto Joannes Episcopus Vesprimiensis supplicem libellum expromsit, exorataque loquendi veniâ omnium convivarum silentium impetravit. Quò factò surrexit ille, & Cardinalem Archi-Episcopum, ad cuius latus retro stabat P. Præses clientum more, officiosè accessit, porrectoque libellò supplici rogavit, vellet hujus causæ, cujus seriem ei breviter simul & nervosè exposuit, patrocinium in se suscipere. Idipsum cæteri quoque tam Ecclesiastici, quam Politici Ordinis Proceres junctis precibus efflagitarunt, quibus id unicè intendebant, ut Cardinalis Augustanæ Confessionis homines bonis modis induceret, quatenus illi dictum Cœmeterium nobis

Libello supplici ad causam nostræ patrocinium Cardinalis exoratur.

1716. ad Ecclesiam ibidem ædificandam pro tolerabili pretio, vel alio æquivalenti cederent. Cardinalis Archi-Episcopus omnes de suo favore securos reddidit, seseque ad Gloriam Sanctissimæ TRINITATIS id facturum spondit, sicut & reapse fecit, quamvis immodicæ ac penè invincibiles difficultates superandæ fuerint, ut inferius magis patebit. Acta sunt hæc pridie Kalendas Octobris, ut memoravimus, annò quidem currentis sæculi quartò supra decimum.

Evulgatus negotium.

V. Petitio nostra jam in publicum elata, etsi plurimos contrariæ opinionis pateretur adversarios, ignominiosâ tamen repulsâ, quam maxime metueramus, minimè notata fuit; reverebantur enim Cardinalis Archi-Episcopi summam dignitatem, cujus Auctoritate fieri noscebant omnia; ac prætereâ nunquam futurum credebant, ut hæc petitio successum esset habitura. Frequentius exinde P. Præses invisit Cardinalem velut hujus negotii Protectorem, captandi ab eo consilii causâ, quò in optatum finem opus celerius deduceretur. Cardinalis quidem suo in proposito jam penitus animum obfirmaverat; verùm in præsentis Regnicolarum ad Comitia concursu, inter quos multi censebantur Sectarîi, tantæ rei mentionem movere volebat, ne crabrones in tempestivè irritaret; præsentiebat enim vir sagacissimi ingenii, magnos inde tumultus orituros, quales & revera excitati fuerunt, ut inferius visuri sumus: consuluit igitur P. Præsidi, ut ipse tam suo quàm Ordinis nomine Senatui Posoniensi supplicem libellum porrigeret, declaratisque rationibus, quibus ad postulandum cœmeterium permoveretur, modestè significaret, se pacificè de eo transacturum, honestas condiciones propositurum, ac etiam vicissim admissurum. Fecit actutum Pater, quod monitus fuerat, nullò tamen operæ pretiò, quòd adversarii nostri longissimis deliberationibus tempus tererent, aliasque ex aliis moras injicerent; sic enim ardorem desiderii sopitum iri rebantur, aut petitionem effectu frustrandam. Contra tamen accidit; nostri siquidem ex tot comperendinationibus magis etiam incaluerant, assiduisque interpellationibus negotium apud Magistratum instantius urserunt, quamvis illud etiam hac ratione parum promovere potuerint. Non destitit tamen Cardinalis Archi-Episcopus ab incepto suo, nihilque non egit, ut tandem aliquando sensus eorum extunderet, eosque induceret ad contractum ineundum, aut saltem ejus perficiendi condiciones proferendas. Obtinuit tandem post solidum annum, ut negotium in Consilio Magistratûs proponeretur. Res in Senatu, qui æquali numero partim ex Catholicis, partim ex Lutheranis componitur, variis affectibus excepta fuit; Senatores siquidem Augustanæ Confessionis negabant omnino, hoc negotium ad Senatum pertinere, quòd dicerent, cœmeterium suæ communitati esse proprium, ac de ejus legitima possessione satis constare. Catholici e contrario possessionem cœmeterii Senatui mordicè vendicabant, plurimisque rationibus allatis evicerunt, non penès Lutheranos solum, nec penès Catholicos, sed penès totum Magistratum simul jus esse cœmeterii vel cedendi, vel vendendi, vel commutandi. Senatoribus igitur in diversas sententias

In Senatu proponitur.

Diffident Senatores.

a beun-

abeuntibus ad tollendas dissidiorum causas ita tandem inter eos convenit, ut nostri Religiosi hortum quendam alteri Lutheranorum cœmeterio contiguum pro ampliacione ejusdem suis sumptibus emerent, & pro eo alterum cœmeterium, nostræ domui vicinum, per viam commutationis reciperent.

1716.  
Resoluitur negotium.

VI. Omnia jam in vado esse videbantur, dum subito novus turbo subortus totum ferè negotium pessumdedit; vix enim vulgante fama percrebuit, Magistratum cum nostris Religiosis tractatum de illo cœmeterio permutando inivisse, dum protinus Lutherani vociferari cœperunt, Senatum Posoniensem vi ac fraude a Cardinali circumventum fuisse, extremum hoc fore dedecus suæ sectæ ac irremediabile præjudicium! tam atrox facinus in publica Regni Diæta, præsentibusque Sacratissimis Majestatis commissum minimè tolerandum esse. Solemni idcirco protestatione præmissa querelam adversus Cardinalem & Patres ad Imperatorem deferunt, quasi contra omnem æquitatem cœmeterium, plurimis annis pacificè ab ipsis possessum, vi extorqueretur, eorumque vetustissima jura tam gravi vulnere inflicto lethaliter sauciarentur.

Contradictio emergit.

VII. Imperator audita sectariorum expostulatione eandem sæpe laudato Cardinali, cum officii gratiâ curiam accederet, incunctanter proposuit: ille autem declarata pacifica conventionem, inter Magistratum & Patres inita, falsissimam criminationem coarguit, & apertissimè refutavit. Ne tamen cœpta Regni negotia ideo sufflaminarentur, aut turbarentur, Imperator impositò de hac re silentiò totum negotium ad finem Comitiorum distulit.

Eadem refutatur, & negotium post Comitium differtur.

VIII. Illis tandem feliciter terminatis, dum soluto Regnicolarum Conventu Proceres celeriter dilabuntur, & diurnam absentiam incitati domos suas avidissimè repetunt, P. Præses opportunum nunc tempus adesse ratus, quò dissipatum negotium pristino vigori restitueret, iteratis vicibus Cardinalem accessit, qui licet aliis publicis Regni curis distineretur, benevolas tamen ei præbuit aures, negotiumque accitis e Senatu viris restituit, urisque, ut denuò consilia de cœmeterii resignatione susciperent: ne autem ullum de suo studio relinqueret dubitandi locum, addidit, se proximè Viennam concessurum, Regiamque Confirmationem contractui impetraturum. His verbis effectum fuit, ut contractus citius, quàm sperari potuisset, coalesceret. Quò in medium productò utraque pars pari aviditate, etsi dispari intentione, eidem celeriter subscripsit, suæque sigilla appressit; nostri quidem, quòd cupitam cœmeterii possessionem adire festinarent; Augustanæ verò Confessionis affectu aliud quidpiam nobis tunc ignotum, sed a Cancellaria Hungarica probè intellectum ac detectum, sub hujus contractus involucris consequi desiderabant. Sed ut majori claritate in materia cæteroquin sat obscura procedamus, ipsum imprimis contractum, prout alterius partis artibus conflatus fuerat, Lectoris oculis nunc subjiciemus, qui ita sonat:

Restituitur causa & contractus proceditur.

1716.

Nos P. Joannes a Conceptione Ordinis Discalceatorum sacrosanctae TRINITATIS de Redemptione captivorum Conventus Posoniensis Superior & totus Conventus ab una; & nos infrascriptis nominibus, & in personis universorum Augustanae Confessionis civium & inhabitatorum Liberae Regiaeque Civitatis Posoniensis partibus ab altera; quibusvis oneribus & gravaminibus successorum nostrorum ac eorum omnium & singulorum, quos videlicet negotium ab infra uberius declarandum de presenti vel in futurum quovis modo tangeret & concerneret, tangerere & concernere posset, matura prius & exacta intra nos animorum nostrorum deliberatione praehabita, in nos assumptis, levatis sponte & liberè fatemur ac recognoscimus, & quidem ex parte praescriptorum Augustanae Confessionis civium & inhabitatorum: Quod ad multifarias praedecarati Religiosi Ordinis mediò nonnullorum Magnae Dignitatis & Auctoritatis Virorum erga nos ratione Caemeterii ante praedictae Civitatis Portam S. Michaëlis situati, & in piam S. Archangeli Michaëlis memoriam ejusdem Nominis vocabulò insigniti, ac per nos in praesens usque in rationem Augustanae Confessionis demortuorum sepulturae optimo Jure tenti, vigoreque Soproniensis & novissime Posoniensis Diatarum Articulorum pacificè semper possessi, & cum plena exercitii quoque ad religiosam nostrorum hominum sepulturam spectantis libertate usuati praescripto Conventui cedendi iteratis vicibus factam benignam & amicam requisitionem, habito praerimis tantae existimationis Virorum condigno respectu per eundemque Conventum oblati infrascriptis conditionibus in debitam pensitationem sumptis & levatis, praedecaratum Caemeterium eidem Sacro Conventui cedimus, totumque attactum Jus nostrum in eodem Caemeterio haecenus habitum, in toties fatum Conventum transferimus & transderivamus, nullum Jus, nullamque Juris, vel Domini proprietatem erga idem Caemeterium nobis aut successoribus nostris per amplius reservantes. E converso autem in recognitionem istiusmodi praedecaratae Cessionis, Jurisque translationis ex Parte praerpetiti Religiosi Ordinis Nos praescriptus ejusdem Superior & totus Conventus praesentium per vigorem praelibatis Augustanae Confessionis civibus & inhabitatoribus bona fide promittimus, obstringimus & obligamus, quod in locum praattacti Caemeterii super domo, in suburbio praattactae Civitatis sita, alterique ipsorum Caemeterio ad Oratorium ipsis articulariter concessum adjacenti vicina, ac non ita pridem per Prudentem & Circumspectum Matthiam Maidl civem

toties

toties fata Civitatis ab Admodum Reverendo Patre Paulo Barannay e Societate JEsu Seminarii Sancti Adalberti Tyrnaviensis Regente, & quidem hoc ita, prout Antecessoribus & Successoribus ejusdem in officio virtute certa coram Venerabili Capitulo Ecclesie Metropolitana Strigoniensis per Illustrissimum condam & Reverendissimum Dominum Andream Illyés, Episcopum Transilvania Pofonii anno 1711. die 28. Augusti celebrata Fassionis ad divendendum auctorizatis existentibus Jure perennali data fuerat, eodem Jure acquisita & empta, Eidemque more Civitatis istius authentice assignata vulgò Branzikiana nuncupata propriis nostris curis, fatigiis & expensis a Sacratissima Casareo-Regia Majestate Benignum Regium Consensum pro sepius iteratis Augustana Confessionis civibus & incolis ante præmentionati Cœmeterii apprehensionem impetrabimus, & manibus eorundem consignabimus, ut iidem præscriptam domum e manibus præmentionati moderni Possessoris pro se liberè acquirere, eandemque in usum sua religionis, proque suorum Ecclesie & Schola ministrorum residentiis ex benigna quoque Sua Eminentissima Serenitatis Ducis de Saxoniam & Archi-Episcopi Strigoniensis annuentia & libertate applicare, ut præattactâ domo sine ulla contradictione eodem Jure, articulari utpotè, in antelato Cœmeterio per prius habito perpetuis semper temporibus imperturbatè uti, fruique quinimò in forma Juris præviò modò cambiati possessione, & usu prædictæ domus pro se & Successoribus suis universis absque impedimento semper gaudere possint, & valeant, ac si prælibata domus tempore Oratorii ejusdemque Antecessorum ipsis diataliter assignati Excisionis, articulariterque factæ Cessionis, iisdem simul assignata extitisset, vel ipsis quoque Regni Articulis specificè inserta haberetur. Ad hac pro ulteriori præscriptorum Augustana Confessionis hominum sepultura, Caremoniarumque eò necessariarum exercitii necessitate, virtute ejusdem Benigni Consensus Regii in fundo civili alium commodum locum aquè in Libera & Regie Civitatis hujus suburbiis, suis sumptibus comparandi & emendi, eodemque Articularii, & Cambii Jure possidendi facultatem iidem Augustana Confessionis cives & incola Pofonienses sibi habeant concessam & attributam. In cujus emptionem & comparationem, inque suorum demortuorum sepultura usum fiendam applicationem Inclytus quoque Magistratus Pofoniensis suum actu præbuit assensum, & se nunc pro tunc, & tunc pro nunc eatenus obstrictum reddidit & obligatum. In Præmissorum proinde robur ac firmiorem evidentiam hasce Con-

1716. *ventuales praescripti Sacri Ordinis & nostris propriis Sigillis syngraphisque, inque Signum Praemissorum omnium ratihabitionis Liberae & Regiae Civitatis quoque hujus authenticò Sigillò Communitas Fassionales duplici sub Exemplari expeditas dedimus. Datum Posonii die nona mensis Decembris Anno 1715.*

Contractus  
offertur Cæsari.

In Consilio  
reprobatur.

Suadetur major  
inquisitio.

Arbitrium Regiae  
Camerae  
Viennam mittitur.

IX. Hic idem contractus Cæsari Viennæ cum supplici libello & demississimis precibus offertur, ut hunc eundem contractum Sua Majestas confirmare Authoritate Regia dignaretur. Cæsar pro more contractum & libellum supplicem ad Regium Aulicum Hungariæ consilium mittit examinandum. Aberat sub idem tempus Cancellarius Hungariæ Comes Nicolaus Illeshasius, cui in muneris vicem successit Ladislaus Adamus Comes Erdædius Episcopus Nitriensis, Ordini nostro faventissimus, ex cujus gratiis magnum rerum nostrarum sperabamus successum. Verum ut ille contractum legendo leviter percurrit, subito deprehendit vir perspicacis ingenii & patriarum legum peritissimus, quòd Augustanæ Confessionis affectu ea, quæ proponebant, jure perpetuo nullatenus sibi arrogare queant: præterea contractum non unò vitio scateri animadvertit: debuissent nimirum Posonienses Senatores Regiam prius Camera consulere, vel ad minus eidem, quas conceperant, indicare rationes, ne tam enormiter in Regia Jura peccarent. Quapropter contractus ille in Regio Hungariæ Consilio reprobatur. Hinc in momento simul procuratio nostra penè in exitium ruit, & certò pro conclamata habebatur. Nota tamen Benignitas Clementissimi Cæsaris erat pro solamine, atque nostros in spem meliorem erigebat, quia eosdem in his actis bona fides tuebatur. Episcopi quoque Nitriensis Pro-Cancellarii favor & in rebus dirigendis prudentia, dexteritasque non sinebat causam nostram omni ope destitui. Postquam enim ille Cæsari universa, quæ fiebant, ex ordine recensuisset, consilio suo author fuit, ut hæc res amplius & accurata inquisitione discuteretur: cum verò ad Regiam Posonii Camera proprie pertinere nosceretur, Regium Hungariæ Consilium ad Alexandrum Erdædium Regiæ Camerae Præsidentem die quinta Martii litteras dedit, quibus ejusdem Camerae Viris a Consilio injungebatur, ut Contractum illum discuterent, & quidquid contra Jura Regia in eo peccatum fuerit, Regiæ Cancellariæ scriptò declararent.

X. Contractus igitur in Camerae Consilio propositus, perlectusque fuit. Omnes in Confessu mirabantur, quòd ipsis insciis, nec consultis, nec requisitis Sectarii hujusmodi contractum fabricare præsumperint. Fit continuo rerum exacta discussio, multa deprehenduntur vitia, quibus contractus ille laborabat. Arbitrium ergo suum, ut jussi fuerant, scriptò prolixius exponunt, sub verborum involucris, quæ latebant, eruderant, sapienter & palam ostendunt cætera, ita ut evidenter eos mala fide processisse convincerent. Integrum Excelsæ Posoniensis Camerae scriptum cum propter aliquas rationes prætermittere debeamus, pauca tamen ex eodem verba producere non dabitur vitio, & quidem illa, quæ

ad

ad fingularem animadverfionem referuntur, nimirum: *manifestè elicitur, antelatos Augustanæ Confessione addictos in fundo præmiſſi cæmeterii abſolutum Jus ſibi vendicâſſe, neque conſiderâſſe illud, quòd bucusque etiam nonniſi ex gratia Regiarum Majeſtatum, & pro bono duntaxat pacis fuerint in bocce Regno Apoſtolico tolerati, toleranturque imprefentiarum, adeoque abſolutum Jus in nullis bonis, aut fundis ſibi appropriare poſſint. Cætera conſultò prætermittimus. Illam igitur ſcripturam die undecima Maji per Regium Curſorem ad Inclytam Hungariæ Cancellariam Viennam mittunt.*

XI. Arbitrium Camera Regiæ, tot argumentis tantisque rationibus ſtabilitum, referente Nitrieni Epifcopo Pro-Cancellario ad Imperatorem pervenit, & poſtquam tota cauſa iterum fuiſſet recognita, duodecima menſis Auguſti Cæſareo-Regium Decretum ab eadem Regia Camera Poſonii executioni mandandum prodivit; quod ad verbum hîc referre operæ pretium exiſtimavi. Sic autem habet:

Cæſaris Decretum expe-  
ditur.

## CAROLUS VI.

*Speſtabiles ac Magnifici, item & Egregii, Fideles nobis Dilecti.*

*Ex demiffa Fidelium Noſtrorum Religioſorum Ordinis Sanctiffimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum Conventus Poſoniensis inſtantia Majeſtati Noſtra per Regiam Cancellariam Noſtram Hungaricam Aulicam humillimè relata, Benignè informamur; qualiter iidem penè præattactum Conventum ſuum non niſi humili & privato quaſi Oratoriò proviſi, Templò verò ob defectum ſufficientis fundi, in quo adificare poſſet, deſtituti, adeoque eatenus ſoliciti Civilem Magiſtratum Poſoniensem, vel potiùs civis præprimis & incolas, Auguſtanam Confessionem profitentes, ratione Cæmeterii præfatis Religioſis vicini & contigui, ante hac Catholicorum, & Sancto Michaëli Archangelo, cujus nomen etiamnum obtinet, dicati, pro adificando Templo ſibi cedendi, & reſignandi requiſiſſent, & poſt diuturniores ſolicitationes, ſub certis tamen conditionibus aſſenſum eatenus eorundem obtinuiſſent, ſuperindèque ad certum etiam Contractum, hiſce in genuina copia annexum iidem Religioſi perſuaſi fuiſſent, talèmq; bona fide ſubſcripiſſent: Ac eidem vel ex eo, ut pranotatum Cæmeterium citiùs acquirere, & voti ſui compotes fieri, Templumque adificare poſſent, piò zelò ſatisfacere cupientes, pro Benigno Conſenſu Noſtro Regio ſuper ejuſmodi inito Contractu obtinendo, Majeſtati Noſtra demiffè ſupplicârunt, ipſumque Contractum in Originali ſupplici ſuo libello accluſerunt. Cuius continentis, & præſertim inſertis conditionibus in altiorem*

1716. considerationem sumptis, si easdem admittere vellemus, non solum Ecclesiae DEI, sed & ipsi quoque Peculio Nostro grande praedudicium illatum iri Benignè comperimus. Enimverò si pro solius pranotati Coemeterii per Augustanae Confessionis homines haecenus utcunque possessi (de quorum tamen legitimo ibidem Jure sibi vindicato dubium etiam subversaretur) & aliunde ipsis, vel ex eo, quòd saepe intra biennium vix unus & alter ibidem sepeliatur, superflui cessione, non solum alium locum in vicem hujus pro Coemeterio ipsorum commodum, cum omni, & quidem Articulari libertate, sed domum etiam illam in Contractu specificatam pro residentia Ministrorum & Scholarium ipsorum convertendam, & dubiò procul a communibus oneribus eximendam Jure perpetuo, & pariter Articulari, quasi Diataliter idipsum iisdem concessum fuisset, adipisci possent, magna sanè in ejusmodi cambio improportio, nec minus Rei Catholicae, & Legum Regni praedudicium ac Jurisdictionis Nostrae, quàm etiam Domini Terrestris derogamen, & contra verò ipsorum emolumentum, & exercitii augmentum exinde emergeret. Hinc Benignè resolvimus, praetensum Contractum illum praeviis ex rationibus eò, quòd initus esset modò, in omnibus subsistere nequire, minus per Majestatem Nostram confirmari posse. Et quia memorati Religiosi pro exaltanda Divini Numinis in Sanctissima TRIADE semper adorandi gloria, necessariò ad edificandum Templum fundò summè indigeant, nec alium praedeclaratò Coemeteriò, aliunde, ut praemissum est, superfluò, aptior, & commodior reperiatur, jamque aliunde ipsimet praefati Augustanae Confessionis homines semet idem Coemeterium resignaturos obtulissent & obstrinxissent, sed nec de pleno Jure ipsorum, qualiter idem Coemeterium haecenus usuassent, sufficienter constaret, ac praeterea duo adhuc alia, unum Oratorio suo contiguum satis amplum, aliud Xenodochio vicinum, tertium verò ad Portam S. Laurentii, cum Catholicis haecenus commune, sed recenter, uti benignè informamur, divisum possiderent, nec pluribus indigere viderentur. Ea propter Fidelitatibus Nostris Benignè committimus, & mandamus, quatenus acceptis Praesentibus, & primùm de praedecclarato Coemeterio, quale Jus ad illud mentionati Augustanae Confessionis homines haecenus sibi vindicaverint, investigare, & rescire, aut ad comprobationem legitimaè Possessionis eosdem adigere, & si legalem Possessionem comprobare nequirent, illud ab iisdem, velut illegitimis usurpatoribus Authoritate Nostra Regia, & Juri Domini Terrestris, quod Articulariter etiam pro omnibus superest, sim-



simpliciter occupare; si verò quodpiam solidum & seu Articulare, seu Commissionale Jus se habere remonstrare possint, eo etiam in casu, cum ipsimet idem Cœmeterium se resignaturos, & in vicem ejusdem alium locum accepturos fore declaraverint, ne lamentandi ansam eatenus habere possint, omnino alium locum pro novo Cœmeterio erigendo cum ea libertate, modisque & formis, quibus cambiandum, Sancto Michaëli Archangelo dicatum hæctenus possederunt, sine tamen ulteriori præconcepti beneficii ad præscitam domum contractualiter prætensa extensione usuandum concedere, adeoque erga puram dicti Cœmeterii cum altero loco commutationem, seu cambiationem assignare, sæpefatum verò Cœmeterium memoratis Religiosis consignare debeant, & teneantur Fidelitates Nostræ. Gratia in reliquo &c. Vienna die 12. Augusti 1716.

Carolus.

Ladislaus Adamus Comes Erdædi  
Episcopus Nitriensis.

Ladislaus Huniadi.

XII. Hæ litteræ Posonium ad Regiam Cameram delatæ in pleno ibidem confesso perlectæ sunt. Res extemplo Sectariis Posoniensibus intimatur, eisdemque injungitur, ut continuo intra juridicum temporis terminum Cæsareo-Regiis Decretis morem gerant. Illi cum non Jus, non Titulum, non Tabulas, non Literaria Documenta, quæ legitimam Cœmeterii Possessionem edocerent, producere possent, Regiæ Cameræ supplicem libellum obtulerunt, in quo Augustanæ Confessionis cives rationibus fundati nulla Regum concessione, aut donatione, sed solummodo diuturni temporis usu Jus in dictum cœmeterium sibi arrogabant: aut quia in rebus hujusmodi præscriptio locum non invenit, nihil evicerunt. Licet autem Regia Camera ipsò factò cœmeterium apprehendere, illudque nobis Cæsaris & Regis Nomine consignare potuisset, voluit tamen ad Regni Leges conformius procedere, ut Augustanæ Confessionis addictis longiores induciæ concederentur, & in facie cœmeterii ad ejusdem solemnem Resignationem permoverentur. Dilatum itaque fuit hoc negotium in secundam diem mensis Septembris, quæ illò annò in feriam quartam inciderat, Festo S. Stephani Regis Hungariæ secundò, ob expugnatam ante triginta abhinc annos Budam anniversaria solemnitate in tota Ecclesia Catholica celebrari solito, consecratam; ita in Synchronis annotationibus meis invenio; ideoque in Cæsareum Confirmationis nostrorum Posonii fundorum Diploma, annò millesimo septingentesimo decimo octavo die vigesima octava mensis Septembris expeditum, Amanuensis oscitantia errorem irrepsisse deprehendo, ubi legitur sexta Septembris, quæ annò hujus Sæculi

Ad Cœmeterii  
resignationem  
statuitur dies  
2. Septembris

Errorem irrepsisse in Diploma expeditum deprehenditur.

1716.

decimò sextò erat Dominica, in quibus diebus hujusmodi Juris functiones rarò, aut certè nunquam solent perpetrari, quod fidelem meam annotationem magis confirmat.

Cœmeterium  
nostri traditum.

XIII. Appropinquante tandem tempore, quò memorabile hoc negotium erat in effectum deducendum, res in hunc modum transacta fuit. Præstituta die secunda Septembris ad Publicum hunc Actum corroborandum peculiariter invitantur utrinque tam Ordinis Ecclesiastici, quàm Statûs Politici, qui Posonii sub idem tempus versabantur, Viri dignitate ac muneribus Clarissimi. Adfunt statuto tempore, & quidem ex parte Inclytæ Camerae Deputati Regii Commissarii, Illustrissimi nimirum Domini Liberi Barones Bernardinus Venierius, Paulus Mednyanskius, & ejusdem Camerae Secretarius Dominus Meczerus; ex altera verò parte Consul, Judex & Senatores Posoniensis Civitatis. Aderant præterea ad condecorandam hanc functionem complures Infulis insigniti Ecclesiarum Patres, Episcopi, Canonici & diversorum Cœnobiorum Superiores, ac denique nostri Posoniensis Conventûs Præses, P. Joannes a Conceptione, cum suo Religioso Cœtu, & innumera alia hominum utriusque sexûs multitudine. Imperatò tandem silentiò Perillustris Dominus Secretarius Meczerus Cæsareum Decretum supra relatam perlegere jussus est, quod postquam alta voce præstitisset, ex adversa parte Senatorum unus suorum nomine in Latino pariter idiomate copiosè præfatus significavit, obsequenter se in abdicando præsentem hocce Cœmeterio, non obstante, quòd multis annis idem pacificè possederint, Cæsaris & Regis Apostolici Decreto se obtemperare; Fideles Sacratissimæ Majestatis servos & subditos se, dum vita comes fuerit, non solum in his, verùm & in aliis ad nutum paratissimos fore, & demissè mandata venerari: quibus dictis claves Cœmeterii Illustrissimo Domino Baroni Venierio reverenter in manus consignavit. Ad hæc Venierius insigniter commendavit promptam eorum in exequendis mandatis Regiis obedientiam, monuitque, ut ita porò pergerent, pacis studia sectarentur, invidiâ ne commoverentur. Acceptas deinde Cœmeterii claves in persona Cæsaris & Regis Patri Præsidi nostri Cœnobii tradidit: Pater obtentis clavibus Ordinis nomine pro pulcherrimo beneficio imprimis Sanctissimæ TRINITATI omnium bonorum Scaturigini, deinde Cæsari, Regique & Regiis Commissariis cooperatoribus prolixas egit gratias. Omnia ista citra ullas turbas in summa pace peracta fuerunt, quæ pro coronide tam memorabilis actûs sinceræ diversorum gratulationes exceperunt.

Platea inter  
media præter.

XIV. Postea dum P. Præses cum Architecto fabricandi Templi ideam concipit, Locique situm examinat, qui versus Domum nostram rectâ lineâ procurrens, forinfecus in longiorem rotunditatem desinebat; tunc primùm observavit interjectam plateam, quæ longitudine orgyias quatuordecim, id est pedes geometricos quatuor & octoginta, latitudine verò orgyias tres cum dimidia, seu unum & viginti pedes complectebatur, grande impedimentum designati Templi structuræ objecturam; per hanc enim  
plateo-

plateolam Augustanæ Confessionis sequaces, cum ad fanum suum tenderent, ultro citroque quotidie commeabant, imò & ipsum Templum, nisi hoc incommodum excinderetur, magnum detrimentum regulari disciplinæ ac religiosæ abstractioni minabatur; etenim ut nostris e Cœnobio aditus in Ecclesiam panderetur, oportebat ingenti sumptu ambulacrum e Superiore Conventûs peristylîo ad Templum construere, ut hoc veluti ponte Ecclesia & Cœnobium, inter se connecterentur: nec tamen propterea aliis quàm plurimis incommodis satis obviabatur; hœc namque pactò nocturnis grassatoribus sub eodem arcu tutissimum parabatur receptaculum, ut proinde facilè divinari posset, multas lites circa jus alyli indè emeruras, nobisque non minùs ac Magistratui perpetuas molestias orituras; sicut enim angulus ille inter Conventum & Ecclesiam quibusvis sceleribus perpetrandis occasionem præbebat, ità aut omnino tollendus erat, aut assiduâ custodiâ munendus. His permotus P. Præses Excellentissimum Alexandrum Comitum Erdœdium Inclytæ Cameræ Pofoniensis Præsidentem suppliciter accessit, & expositis incommodis, quæ ex hac intergerina plateola subpullulatura metuebantur, rogavit, ut operam suam in id conferre velit, quatenus exiguum hoc terræ spatium pro Templi & Cœnobii conjunctione nobis donaretur. Excellentissimus Erdœdus facilè agnovit, Patris rationes haud contemnendas: egit igitur confestim cum Magistratu, ut eandem plateam secundum necessariam dimensionem Cœnobio nostro cederent. Lutherani prioris adhuc vulneris memoriâ exacerbati acriter huic petitioni se opposuerunt; re tamen maturiùs perpensa, ad extremum omnes consenserunt. Quò impetratò, ut deinceps omnis quæstio tolleretur, nostri plateam illam ex utraque parte muro tumultuariè excitatò obduxerunt, qui Cœmeterium Cœnobio connectens transitum impedivit, atque hac ratione multis emeruris incommodis utilem ac salutarem obicem posuit. Negotium hoc mentes utrinque variè per duos solidos annos exagitavit, donec tandem citra spem & cum scœnore ad felicissimum finem perductum fuisset.

1716.

## CAPUT VI.

*Agriam superioris Hungariæ Civitatem Ordo noster introducitur.*

I. SECUNDUM Nati CHRISTI Epocham ingredimur nunc Annum millesimum septingentesimum decimum septimum novò Propagationis nostræ incrementò nobilem. Gabriel Antonius Comes Erdœdus, sæpiùs per decursum hujus Historiæ a nobis jam laudatus, atque laudandus imposterum multoties, affectum in Ordinis Trinitarii Sodales magis testaturus, quem a D. Christophoro Parente Optimo Optimus Filius Hæreditarium acceperat (virtutes enim Patrum naturæ bonitate per sanguinem in Filios propagantur) nunc insigni aliquò monumentò evidentiùs testatum

1717.  
Affectus Patrum in filios propagantur.

1717. facere decrevit. Equidem ille jam pridem, cum adhuc in Metropolitana Strigoniensi Ecclesia Præpositi Majoris dignitate ac munere fungeretur, aptam aliquam de Ordine nostro benè merendi occasionem captaverat, nec dubitare licebat, eum, si vita comes accederet, quod nostri ferventissimis a DEO precibus postulabant, insigni quòdam beneficio Religionem nostram sibi devincturum. Id quod prorsus evenit; pius siquidem nostris suspiriis annuit Divini Numinis Providentia, quæ nobis, ne cogitantibus quidem, viam sternebat ad novæ cujusdam Foundationis ineundam possessionem, ut nunc fusiùs declarare aggredior.

Telekesius  
Agriensis Episcopus.

II. Annis superioribus, peste simul & bello Regnum Hungariæ diu multumque fatigantibus, Stephanus Telekesius vitæ meritis laudatissimus Agriensis Ecclesiæ Pontifex naviculam quasi in turbido undique mari rectè gubernabat, & in naufragis illis Republicæ fluctibus ad Superos velut unicum suam Cynosuram, quemadmodum versati solent Navarchi, identidem respiciens precibus, votis & sacrificiis pro Rege, Regno & Populo Divinum Numen exorabat, ut reducta postliminio temporum tranquillitate bellorum furor tandem aliquando conquiesceret, & epidemica lues, ab innumeris funeribus infamis, e Regni finibus eliminaretur. Neque irritæ fuere preces ejus, quibus Divinas aures ad misericordiam inclinavit; postremos enim vitæ suæ dies bellis omnibus sopitis, & contagioso morbo extincto in pace ac prosperitate transegit. Videtur, Candidissimo huic Præsuli in votis fuisse aliquod insigne monumentum pro nostro Ordine in vivis statuere, quod licet ob attritas bellorum tempestate facultates præstare nequiverit, Successori suo tamen ad opus longè pulcherrimum audendum quasi facem prætulit, utpotè qui cumulatissimè implevit, quod Antecessor ejus dudum optaverat. Sed ut clarius agnoscat, quibus basibus hæc mea conjectura subsistat, rem altiùs repetere libet: Cum anno superiore hujus sæculi nono Agriæ pestifera lues multas passim strages patraret, hac in afflictione Hungariæ Nationis cives ad Sanctissimæ TRINITATIS Numen fiducialiter confugerunt, ejusdemque honoribus sacram ædiculam construere decreverunt. Facto hujus rei voto vis exitialis mali remittit, & vastator angelus gladium in vaginam recondidit. Tam palmari beneficio cives obstricti subsidia confestim colligunt, Ædis sacræ fundamenta jaciunt, muros ad justam altitudinem educunt; sed cessantibus aut parcius affluentibus subsidiis cessatum etiam fuit ab opere, & structura remansit imperfecta. Telekesius Agriensis Antistes videns tantum frigus civium in promovenda hujus ædiculæ fabrica, eis expensas hæcenus erogatas refudit, opus in se transtulit, & feliciter etiam ad culmen perduxit. Paulus, frater illius, aram Sanctissimæ TRINITATI propriis sumptibus itatuit; ipse verò Episcopus reliquas hujus ædiculæ partes ornavit: ubi memoratu dignum est, eum quatuor depictas imagines in eadem sacra ædícula parietibus affixisse, quarum prima Sanctum Patrem Nostrum JOANNEM de MATHA, altera Sanctum Patrem Nostrum FELICEM de VALOIS, tertia S. Petrum de Cabilone Ordinis Marty-

Cœptam SSS.  
TRINITATIS  
ædiculam  
periculis.

Sanctos Ordinis  
nostri ibidem  
ponit.

Martyrem, ac denique quarta Venerabilem Patrem Nostrum Michaëlem a Sanctis cum suis Ordinem nostrum concernentibus inscriptionibus haud inuentè repræsentabant. Non constat, quo inspirante hoc fecerit, his ipsiis tamen argumentis inducor, ut credam, ei jam tunc in mente sedisse prosperiore fortuna aridente Ordini nostro in hac sacra ædícula stabile quoddam domicilium fundare. Præterea tres campanas ibidem appendi curavit, quæ has inscriptiones præferunt; prima: PATER DE COELIS DEUS MISERERE NOBIS. Secunda: FILI REDEMPTOR MUNDI DEUS MISERERE NOBIS. Tertia: SPIRITUS SANCTE DEUS MISERERE NOBIS. Ad extremum denique, ne operi ab se provento, quidquam deesset, eandem ædiculam annuo censu dotavit.

1717.

Tria æra campana cum inscriptionibus.

Annuo censu dotatur.

III. Regno restituta pace, pestèque profligata pius Præsul octogenariò major plenus meritorum die tertia mensis Maji annò millesimò septingentesimò decimò quintò exuta mortalitate ad Superos migravit, nec diu anceps mansit, quis viduatæ suo Pastore Ecclesiæ substitueretur Successor; amplissima siquidem merita suffragabantur præ cæteris D. Gabrieli Antonio Comiti Erdœdio Metropolitanæ Strigoniensis Ecclesiæ Præposito Majori: qui proinde ab Augustissimo Cæsare, Rege Apostolico, Agriensis Ecclesiæ Sponsus renunciatus, ac deinde die sexta mensis Augusti ejusdem anni decimi quinti universali omnium plausu & congratulatione ejusdem Cathedralis Ecclesiæ solio impositus fuit. Rebûs Novus Præsul sui muneris ritè constitutis, ordinatisque, ut in tam lato ac diffuso Episcopatu fieri oportebat, primas curas suas eò convertit, qua ratione Sacrum Ordinem nostrum Agriæ implantaret. Hæc ille dum tacita mente secum revolvit, annò labentis sæculi decimò septimò sub ipso Vernalis jejunii tempore Viennam concessit, causas suæ Ecclesiæ ibidem tractaturus. Viennam delatus in principio mensis Martii ad nostrum Cœnobium se contulit, ac P. Martino ab Ascensione, qui eo tempore Commissarii Generalis munere fungebatur, in familiari colloquio insinuavit, sibi propositum esse Agriæ Ordinis Trinitarii Cœnobium instituere, atque huic rei ad sequens Sanctissimæ TRINITATIS Festum initium dare: monuit proinde Patrem, ut cum aliquot suis Religiosis dicta die Agriæ compareret, pollicitus, se omnes sumptus hujus rei gratiâ erogandos suo ære persoluturum, quod & reapse insigni munificentia præstitit.

Obis Episcopopus Agriensis.

Hjus Successor.

Ordinem invitavit Agriam.

IV. Mense Majo destinatum advenerat tempus, quo Agriam ad ineundam novæ Foundationis possessionem nostri fuerant invitati. P. Martinus ab Ascensione cum P. Emmanuele a S. Maria Viennâ Comaromium contendit, quò etiam Tyrnaviâ ad se evocavit P. Emericum a S. Alexio, P. Leopoldum a S. Josepho & F. Martinum ab Assumptione in quorum comitatu flumentaneo itinere Budam profectus est, hospitiumque Pesthini apud Reverendos Patres Ordinis Servorum Beatæ Virginis, jam præviè pro nostris præparatum, subivit. Hic illi omni officiorum genere ex culti curus conduxerunt, quibûs reliquam viam conficerent,

Agriam veniens nostris.

1717.

iisque conscensâ die vigesima secunda ejusdem mensis Maji, Sabbatò nimirum ante Festum Sanctissimæ TRINITATIS, Agriam pervenerunt, ab Episcopo singulari benevolentia excepti in veterem Parochiæ domum ex ejusdem Præsulis dispositione diverterunt. Sequenti die Dominicâ, Sanctissimæ TRINITATIS Festo consecratâ, pro vetere consuetudine solemnibus supplicatio e principe Templo ad ædem Sanctissimæ TRINITATIS extra urbem deducenda fuerat, sed quòd nubilum cœlum perpetuos imbres effunderet, viasque omnes cœnò, ac illuvie fœdaret, sacra omnia in Cathedrali Templo, ubi etiam nostri comparuerant, peracta fuerunt. Agrienses cives & incolæ, quorum pauci adhuc Ordinis nostri Religiosos viderant, ora, oculosque ad novum hoc & insolitum spectaculum converterunt, Patrèsque nostros intentissimè contemplantes mirabantur admodum, & ex se invicem percontabantur: unde repente tam ignoti Ordinis Sacerdotes huc delati fuissent? Quod nomen eorum? Quid sibi hic vellent? Quò tendant? Et quæ sunt his similia. Domino Nicolao Gerharo Agriensis Ecclesiæ Canonico ea die provincia obtigerat ad concionem verba faciendi. Is rerum, quæ agebantur, optimè gnarus elegantem sermonem concepit, in quo postquam multa aptè ac ornatè de incomprehensibili Mysterio Sanctissimæ TRINITATIS differuisset, suosque auditores ad ejusdem cultum, amorem, & adorationem inflammâisset, sensim ad Ordinem nostrum præsentésque Religiosos sermonem direxit, & ut populi cupiditati faceret satis, in hunc ferè modum locutus est: „ Præsentem, Fideles, quem cernitis Ordinem adesse, ab eadem Divina Personarum TRINITATE nuncupari meruit, orbi Christiano ante quingentos & novendecim annos Angelica apparitione revelatus ad redimendos e jugo & servitute paganorum Christianos captivos pridem in Ecclesia per diversas mundi nationes propagatus: quibuscunque in locis aut gentibus, ubi sedem fixerat, CHRISTI Fidelibus ingentia attulit commoda; hujus enim Ordinis professores non solum populo e superiore loco Verbum DEI proponunt, poenitentes in sacro tribunali salutaribus præceptis instruunt, vitia doctrinâ suis eradicant, viam salutis ostendunt, aberrantes in rectam semitam reducunt, ægros & moribundos consolantur, eosdem ad cœlestis Patriæ iter probe dirigunt, verum etiam vitæ integritate, morumque Sanctimoniâ insigniter refulgent; assiduis namque jejuniis, aliisque corporis & sensuum edomationibus perpetuò incumbunt, diu noctuque Divinæ Majestati in Psalmis, Hymnis & Canticis spiritualibus deserviunt, precibus & sacrificiis iratum Numen placent, miseris mortalibus a DEO beneficia quàm plurima exorant. Quòd si autem alicui hæc non admodum singularia, aut certè cum aliis Religiosorum Ordinibus communia videantur, istud sanè decus citra controversiam eis peculiarem existimationem meritò conciliat, quòd juxta Ordinis sui Institutum longinquis itineribus susceptis per immania pericula in barbarâ regna proficiscantur, Christianos captivos de crudeli Turcarum servi-

Sermo ad populum in Ordinis commendationem.

servi-

„ fervitute immensis sumptibus eximant, eosdemque ad pa-  
 „ triam suam & Christianam libertatem reducant. Jam nemo  
 „ ambiget hos esse veros CHRISTI Sectatores, qui idcirco de  
 „ caelo in hunc mundum venit, ut genus humanum cruce &  
 „ passione sua ab orci vinculis eximeret; ideo & hi Religiosi Pa-  
 „ tres bicolorem crucem in alba veste supra pectus gestant, ubi  
 „ color albus, qui a nullo alio colore ducit originem, sed a se  
 „ natus est, DEUM Patrem Ingenitum, color caeruleus sive cœ-  
 „ lestis DEUM Filium, ab æterno ex Patre genitum, qui propter  
 „ nostram salutem de caelo descendit, color ruber, sive igneus  
 „ DEUM Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedentem, qui  
 „ est amor utriusque, & in igneis linguis supra Apostolorum ver-  
 „ tices apparuit, significant. Quamobrem, si quis hos Religio-  
 „ sissimos viros exterius duntaxat aspiciat, illos confestim filios  
 „ esse Sanctissimæ TRINITATIS & Redemptores captivorum  
 „ agnoscat. Quibus præmissis sermonem his verbis conclusit:  
 „ Cum igitur Patres isti universo quidem Christiano orbi, præ-  
 „ cipue tamen Regno Hungariæ ob assidua cum infensissimo Chri-  
 „ stiani Nominis hoste bella & frequentes nostræ gentis captivi-  
 „ tates sint valde utiles & magnoperè necessarii, statuit Sapien-  
 „ tissimè Præsul noster eis in hac urbe cœnobium condere, ut  
 „ imprimis saluberrimum Redemptionis captivorum Institutum,  
 „ prout solent, assidue exercent, & universis civibus sanâ doctri-  
 „ nâ & exemplaris vitæ conversatione præluceant. Dicit vix  
 „ potest quantos motus in auditorum animis hæc Oratio exci-  
 „ taverit. Omnes sanè incaluere, ac insolitò perfusi gaudiò de  
 „ Optimi sui Præsulis munere sibi gratulati fuerunt.

1717.

Colorum sc.  
Ordinis Crucis  
explicatio.

„ Die sequenti, quæ erat feria secunda, Episcopus juxta Sa-  
 „ croscans Canones convocavit Regularium Ordinum Superiores, Pa-  
 „ trum videlicet Minorum S. Francisci strictioris observantiæ, &  
 „ Servorum Beatæ MARIÆ Virginis, atque cum illis ipsum etiam  
 „ urbis Senatum. His ille fusiùs magno verborum pondere ape-  
 „ ruit, sibi propositum esse Agriæ Ordini Sanctissimæ TRINITA-  
 „ TIS de Redemptione captivorum cœnobium condere: Quæsit  
 „ proinde, quid ipsi sentirent, & an quidpiam haberent, quod ho-  
 „ rum Religiosorum introductioni jure opponere possent? Nemo  
 „ inventus est, qui contradiceret, quinimo cuncti rara felicitate,  
 „ quæ hætenus nunquam adhuc nobis obtigerat, abs dubio propter  
 „ tanti Præsulis auctoritatem ac debitam reverentiam consonis suf-  
 „ fragiis in eandem cum suo Episcopo mentem conspiraverunt. Su-  
 „ pererat proinde, ut locus pro novo hoc cœnobio construendo  
 „ eligeretur. Duo statim occurrebant, alter intra urbem ad sacram  
 „ Ædem S. JOSEPHI CHRISTI Nutricii, alter verò extra urbis  
 „ moenia ad Sanctissimam TRINITATEM, cujus superius mentio-  
 „ nem fecimus. Datur nobis optio alterutrum eorum eligendi.  
 „ Nostri utrumque locum sollicitè perlustrant. Ædes S. JOSEPHI  
 „ major quidem erat, & ad Mahometanorum, quibus olim usum  
 „ præbuerat, architecturam constructa: etsi verò nostri commo-  
 „ dius tutiusque ducerent intra civitatem habitare, deterrebat

Proponitur &  
approbatur  
nostra causa.

Locus pro  
Cœnobio ex-  
quiratur.

1717. men eos situs nonnihil humidus adeoque sanitati perniciosus, ad quam praecipue illos respicere decet, qui regularem disciplinam factam, tectamque conservare cupiunt. Perro altera Ecclesia Sanctissimae TRINITATIS extra moenia licet priori situs praerogativa & magnitudine cederet, ab aëris tamen salubritate & amoenitate loci commendabatur. Hanc igitur appetiverunt, ad quam ipse Sacrae Aedis Titulus eos invitare videbatur. Res circa loci obligationes facile complanata fuit, ut sequenti anno, quando Caesareo-Regium confirmationis Diploma afferemus, fusiùs dicitur. Dominicam tandem, quae fuit dies octava post Sanctissimae TRINITATIS Festum, & trigesima mensis Maji Episcopus nostris Religiosis & multis aliis Viris e Clero, populoque stipatus Sacram Aedem Sanctissimae TRINITATIS accessit, eandemque referavit, & claves P. Martino Commissario Generali in manus tradidit, simulque locum sub his obligationibus Ordini donavit, videlicet: ut singulis mensibus in una Dominica die, cum supplicatio more solito de Cathedrali Templo huc descenderit, nostri sermonem e superiore loco ad populum faciant, & in cujuslibet hebdomadae feria quarta & sexta Missae Sacrificium pro defunctis celebrent; pro his autem peragendis nostri quotannis centum quinquaginta & unum florenos Rhenenses stipendii loco recipiant, quemadmodum a Reverendissimo D. Stephano Telekesio Episcopo Agriensi Antecessore prius fuerat institutum.

Eligitur sacra  
aedes SSS.  
TRINITA-  
TIS.

Introductio.

Ejus obligat  
iones.

Proponuntur  
aliae obligat  
iones.

Perpetua me-  
moriam gratitu-  
dinis ergo.

Alia benefi-  
ciis ditati  
Viennam re-  
dunt.

VI. Eadem luce post meridiem, cum circa futurum cenobii aedificium Episcopus quaedam cum P. Commissario Generali conferret, ei pariter exposuit, gratissimum sibi fore, si nostri deinceps Agriae curarum partem admitterent, in administranda re spirituali, praesertim ad aegros & moribundos vocati praesto adessent, quinimò Sacramenta eisdem administrarent, atque alia munia Parochialia peragerent, quotiescunque urbis Sacerdotes his administrandis non sufficerent, aut nostrorum adiutorio opus haberent. Alterum erat, ut nostri ab hac ipsa introductionis die, quantum fieri posset, secundum regularis disciplinae normam viverent, speciatim verò ab esu carniū abstinere, & juxta sacrae Regulae nostrae statuta nullibi extra domum suam manducarent, aut biberent, atque alia, quae juxta Ordinis Leges stabilita sunt, pro viribus observare studerent. His omnibus, ut par erat, consentit P. Commissarius Generalis, jussitque nostros eis morem gerere, ac praeterea mandavit, ut in signum gratitudinis singulis diebus sabbati pro Episcopo Fundatore, & totius gentis Erdœdianae prosperitate Missae Sacrificium perpetuis temporibus celebraretur. His transactis P. Emericum a S. Alexio loci Praesidem constituit, cui fratres obedirent; ac deinde Optimo Praesuli valedicens eidem pro ingentibus beneficiis gratias, quas humana mens potest maximas, rependit, suosque ejusdem protectioni etiam atque etiam commendavit. Discessuro Patri liberalissimus Praesul curram victualibus onustum, ac praeterea centum florenos Rhenenses in viaticum donavit, simulque unum ex suis ministris constituit, qui Patrem Budam usque nomine suo comitaretur, atque

hoc



hōc modō eundem cum socio P. Emmanuele a se dimisit. Et hæc sunt Agriensis nostri cœnobii exordia ; cætera ejusdem incrementa in sequentibus annis prosequemur. 1717.

C A P U T VII.

Domus nostra Albæ Carolinæ in Transilvania novæ Foundationis accessione augetur.

I. **E**Xplanatis jam rebûs, quæ ad initia nostri Conventûs Agriensis pertinent, in Transilvaniam iterum regredimur, ubi anno præfenti Domus nostra Albæ Carolinæ nova incrementa cœpit. Diximus superiùs, Augustissimum Imperatorem CAROLUM VI. Ordini nostro in dicta Civitate stabilem sedem assignasse, eandemque annuo censu pro trium Religiosorum honesta sustentatione, & decenti Ecclesiæ ibidem provisione dotasse, nunc gratitudo a nobis efflagitat, ut ea quoque referamus, quæ alterius Benefactoris liberalitas Cæsareæ huic Foundationi adjecit. Is erat Illustrissimus Dominus Comes Michaël Mikes, Sacræ Cæsareæ, Regiæque Majestatis in Excelso Gubernio Principatûs Transilvaniæ Consiliarius, qui Nativæ Pietatis impulsu ductus, tum Cæsareæ beneficentiæ exemplō provocatus in id incubuit, ut hanc Religiosam Coloniam novô subsidiō augetet. Re itaque cum Superioribus Ordinis nostri Communicata ad majorem Divini Nominis gloriam, & captivorum Christianorum solatium aliam fundationem pro duobus Religiosis addidit, quibus alendis statos redditus deputavit, seséque ad quadringentos florenos, quotannis pendendos, obstrinxit, ità tamen, ut sibi suisque hæredibus liberum esse voluerit, stipulatam pecuniam pro temporum & rerum varietate aut ære parato, aut victualibus ejusdem pretii persolvere. Declaravit præterea, sub nomine victualium vinum duntaxat & triticum intelligi debere, nec ad alia accipienda Religionem nostram cogi posse. Hæc omnia clariùs elucescent ex ipsis Foundationis Litteris, quas, prout in autographo continentur, hîc descriptas subjicio :

Pro fundatōne duorum Patrum census stabilitur Albæ Carolinæ.

Posita conditione.

*Ego Comes Michaël Mikes de Zabola Sacra, Cæsareæ Regiæque Majestatis Excelsi Gubernii Regii Transilvanici Consiliarius Intimus : Do pro memoria per præsentem, significoque, quibus expedit Universis. Quod cum nihil priùs, antiquiùsque in votis habuerim, quàm Divini Numinis honorem & zelum, Fideique Catholica incrementum & propagationem, eique omnî curâ, studiô & alacritate incubuerim, huncque ad scopum actiones vitæ meæ (DEO opitulante) direxerim; idcirco cum ex Clementissima Suae Majestatis Sacratissima, nempe Augustissimi & Inviçitissimi Romanorum Imperatoris CAROLI VI. Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæque &c. Regis, Archi-Ducis Austriae, Ducis Burgundiæ &c.*

Q999999

Tran-

1717. Transilvaniaeque Principis Hereditarii, Domini Domini Nostri Clementissimi, ac Benignissimi Gratiâ & Benignitate Venerabilis Sanctissima TRINITATIS Ordo in hocce quoque Regnum Transilvaniae implantatus, Casareoque-Regiâ munificentia Albe Carolina fundatus, ibidemque sede fixa collocatus sit: ut verò idem prelibatus Venerabilis Ordo, seu Religio Sanctissima TRINITATIS de die in dies in Vineâ Domini majores radices ageret, tam ad Divini Numinis Gloriam & honorem, Catholicaeque Religionis propagationem, quam plurimorum dirae Barbarorum servituti mancipatorum, sub eorumque seruo captivitatis jugo gementium, & suspirantium Christicolarum pristina Libertati, liberationis & restitutionis consolationem in hocce quoque Regno Transilvania incrementum caperet, & nancisceretur; Praemissis itaque ex rationibus, & Christianitatis amore, & fervore, factis & perpensis considerationibus, motuque proprio & zelo, praattacto Venerabili Ordini & Religioni Sanctissima TRINITATIS duorum Patrum Foundationem adjeci & institui, ita ut modofatis ex rationibus, praepriis etiam assumptis oneribus Filiorum meorum Francisci, Stephani & Ladislai jam natorum Divinaeque benedictione nasciturorum, omniumque meorum Heredum & Posteritatum Legitimorum Successorum, omniumque aliorum, quos praesens negotium concerneret, concernereve dignosceretur, eisdem binos Patres Ordinis Sanctissima TRINITATIS Albe Carolinae jam dictae Foundationi hisce infrascriptis sub conditionibus adjicio & fundo, & quidem

I.<sup>mo</sup> Teneat binis Patribus pro suorum alimentacione, aliisque necessitatibus quocunque nominis vocabulo vocitatis annuatim quadringentos florenos Rhenenses, utpotè pro quolibet ducentos & eos quidem sive in paratis pecuniis, seu in naturalibus, utpotè duntaxat vino & tritico (praecisis aliis naturalibus) dare & administrare, ita tamen, ut mihi, meisque praescriptis Heredibus & Successoribus facultatem integram reservem juxta exigentiam temporis & rerum, quò melius mihi meisque prelibatis Heredibus & Successoribus omnibus, eorum pariter Heredibus & legitimis Successoribus visum beneplacitumque fuerit, seu in toto, seu in parte, sive paratis in pecuniis seu praemissis naturalibus exsolvere & administrare facultas semper Libera & Perpetua esto.

II.<sup>do</sup> Sin verò Divinâ quadam Nemese (quod Superi clementer avertant) tempestates bellorum, incendia, rapinae, aliaque mala & communia pericula hocce Inclutum Regnum Transilvaniae  
obruer-

obruerent, invaderent, & affligerent, ubi communis fors & jactura omnium esset, vel duntaxat mei, meorumque prescriptorum (quod DEUS propitius avertat) fieret, eo in casu prelibatis quoque Patres & Venerabilis Ordo prememorata sui sustentationem, nec eò tum, nec ex post de iisdem prateritis (nisi mei, meorumque preattactorum consensus, liberæque accedat voluntas) pretendere, haberèque queant, eousque, donec pacatiora supervenerint tempora, eò tumque quoque dum pristinis nostris mediis & facultatibus præcipuè immobilibus vel ex toto, vel notabili ex parte restituemur.

III.<sup>o</sup> Hæc verò Fundatio duorum Patrum initium, quod Felix, Faustumque sit, capiat a die Gloriosa Resurrectionis Domini in vigesimum octavum diem Martii Anni labentis incidentem, ab eoque tempore de quadrante in quadrantem Anni, præspecificati quadringenti floreni præmissa modalitate tam a me, quam prelibatis meis Hæredibus & Successoribus exsolvantur, & administrentur.

IV.<sup>o</sup> Nec hoc prætermisò, quod si affluente Divina Gratia, Misericordia & ope in luculentiorum statum fortuna tam Ego, quam mei Hæredes, Successorèque devenerimus, vel devenerint, mihi, Eisdemque hanc Fundationem ad Ejusdem Sacri Ordinis ampliorem augmentationem aliò transferre semper liberum esto.

Econtra verò, cum humana sortis varia sint vicissitudines, instabilisque fortune cursus, si quos, vel quem (quod DEUS evenire haud concedat) ex meis præscriptis Hæredibus & Posteritatibus, vel eorundem legitimis Successoribus aliquando, fatali aliquo casu in diram Christiani Nominis hostium captivitatem incidere contigerit, eo in casu rogo, & adhortor toties prelibatum Sacrum Ordinem Sanctissima TRINITATIS, viam præattactorum beneficiorum habere & recolere memoriam, Eisdemque vel Eundem pristina Libertati restituendos omnimodè allaborare, quod etiam toti Sacro Ordini, prout etiam mei, animæque meæ, Parentum, aliorumque Majorum meorum, ut & descendentium commemorationem in Sanctis Missarum Sacrificiis, aliisque precibus, bonisque operibus unice recomendo, ipsaque reciproca gratitudinis ratio & pietas ipsis persuadeat; Ità quoque ego

Ultimò: Meos præscriptos Hæredes, Posteritates omnes, denique legitimos Eorum Successores (quorum onera præviò modò in me assumpsi) non duntaxat admoneo, & adhortor, verum etiam in conscientia obligo, & adstringo hancce præmissam piam Fundationem ad amissim non solum observare, verum etiam in omnibus

1717. *praemissa modalitate velut ultimam, liberam, ratam quoque Voluntatem meam effectui mancipare, quod, si quo casu, post fata mea nollent, quaestioni submitterent, aut quoquo modo, sub quibuscunque viis excogitatis, vel excogitandis praetextibus contravenire attentarent, eo in casu do, & transfero omnimodam meae potestatis facultatem supremo eo tempore in hocce Regno existenti Magistratui ad primam praetactorum Patrum, vel Ordinis Sanctissima TRINITATIS requisitionem, Eisdem, velut in causa liquidi debiti compellere velint, praefatisque Patribus praevia modalitate plenariam satisfactionem ab iisdem impendi curare nec intermittant. Quod si praememorati Heredes mei, vel eorundem Heredes & Successores non facerent, facerentque nollent, ejusdem valoris etiam quovis nominis vocabulo vocitata Bona praelibatis Patribus, Venerabilique Ordini pacifice possidenda assignent, donec praevia modalitate plenaria Eisdem satisfactio impendatur. In cujus rei Fidem majusque robur & firmitatem coram his infra scriptis fide dignis Personis do Praesentes hasce meas Litteras Fundationales propria manu subscriptas & Sigillo usuali munitas & corroboratas. Datum & Actum Cibinii die 16. mensis Februarii Anni millesimi septingentesimi decimi septimi.*

(L.S.) *Comes Michael Mikes.*

*Coram nobis*

(L.S.) <i>Clemente Kozma</i>	(L.S.) <i>Joanne Thorockay, S.C.R.</i>
<i>S. C. R. Majestatis Fiscalium in Transilvania</i>	<i>Majestatis in Transilvania</i>
<i>Proventuum Generali</i>	<i>Tabulae Judicariae Assessore mp.</i>
<i>Perceptore mp.</i>	

## C A P U T VIII.

*Pro Fundamento Pofoniensis nostri Templi Primus Lapis ponitur.*

*Ad Templi Pofoniensis fabricam necessaria parantur.*

I. **P**ost feliciter impetratum Pofonii Coemeterium, ut superius pluribus recensuimus, P. Joannes, Domus Pofoniensis Praeses, primas cogitationes, curasque suas ad aedificandam in eodem loco Ecclesiam convertit. Situs itaque geometricis dimensionibus examinatur, describitur area, Templi Ichnographia formatur: Artis Architectonicae peritis exhibetur idea; consulitur & exquiritur, si quid addendum, demendum, aut in meliorem formam redigendum esset, ut rebus adhuc integris corrigi & mutari posset. Tabula haec plurium oculis subjecta & exposita tandem etiam

etiam in manus Serenissimi Principis Eugenii de Sabaudia Cæſareorum Exercituum Polemarchi, qui ſub idem tempus Poſonii agebat, incidit. Hic, ut non ſolùm bellicarum artium, verùm etiam Architectonices erat ſcientiſſimus, illis ſuis perſpicaciſſimis oculis protinus nonnulla detexit, quæ obeliſcô & Ariſtarchi ſpongiâ digna operis perfectioni aliquomodò derogabant. Hæc cenſura tantò nobis gratior accidit, quantò nobilior erat Magiſter, a quo proceſſit. Igitur citra ullam tergiverſationem optimis conſiliis morem geſſimus, Templique ſtructuram ad tanti Architecti mentem ordinavimus, quod pro æviterna Poſoniensis Eccleſiæ noſtræ commendatione, & perpetuanda Inviſtiſſimi Herois memoria haudquaquàm diſſimulare volui.

1717.  
Princeps Eugenius ideam Templi examinat, & aliquid emendat.

II. Complanatis tandem omnibûs difficultatibûs foſſores condaucti ſunt, qui, dum bipaliis & ligonibûs terræ viſcera ſcrutantur, ingentem vim humanorum oſſium eruerunt. Ex his nonnulla, quod grana ſive calculi corollæ Marianæ, cruces, aut benediſta metalla eis permixta cernerentur, indubiam fidem fecerunt veteris pietatis, docueruntque eas eſſe exuvias Catholicorum, unde etiam hæc oſſa a cæteris ſegregata, atque in peculiari ſcrobe ſimul fuerunt tumulata. Heterodoxi quoque ne oſſa ſuorum in manibus Catholicorum relinquerent, ea ſibi extradi poſtularunt, ut in Lutheranorum Cœmeterio ſepelirentur, quod etiam haud difficulter obtinuerunt. Porrò foſſores, cùm altiùs in terram penetrâſſent, vaſtæ molis fundamenta detexerunt, quibus quondam vetus S. Michaëlis Archangeli Templum incubuerat. Hæc non ſolùm vetuſtiſſimam Catholicorum Traditionem confirmabant, verùm etiam pro nova hujus Eccleſiæ ſtructura inſignem uſum præbebant, utpotè, quæ partim novo ædificio coaptata fuerunt, partim in fundamenta ruruſ conjeſta totam fabricæ molem ſuſtentârunt. Demum, cùm juxta designatas lineas humum cumulatius egeſſiſſent, ſolidum fundum, & ut ajunt, virginem terram repererunt ſtatuendis fundamentis idoneam.

Fodientes oſſa deſunctorum ſegregant.

Catholicæ Rē dei indicia.

Fundamenta veteris Eccleſiæ.

III. Declivis via commodum jam deſcenſum ad ima aperuerat, cæteraque omnia ad Primum Lapidem ponendum ritè ordinata fuerant: unde noſtri nihil amplius cunetandum rati, Illuſtriſſimum Episcopum Nitriensem Ladislaum Adamum Comitem Erdœdium ad hunc ſolemne actum peragendum invitârunt. Ille oblatum hunc honorem gratum habuit, ſeſeque adfuturum promiſit. Statuitur dies menſis Junii duodecima, quæ Sabbathum erat ante quartam Dominicam poſt Pentecoſten. Ut autem hujus rei memoria ad ſeram poſteritatem propagaretur, numismata aliquot præparavimus, nempe CLEMENTIS XI. Summi Pontificis, CAROLI VI. Romanorum Imperatoris, ELISABETHÆ CHRISTINÆ Imperatricis imaginibus inſignita, quæ Lapidi Fundamentali inſerta fuerunt. Tegebantur hæc laminâ ex ære cyprio: lamina verò ſequentes Inſcriptiones præſerebat, quas ad poſteriorum memoriam exhibemus:

Ad peragendam functionem abſente Card. Archiep. invitatus Episcopus Nitriensis.

Numismata & Inſcriptiones.

1717.

D. V. T. M.

Hic habuit Michaël Sacras Archangelus Aedes  
 Quondam, sed nostrum quis meminisse queat?  
 Indè sepulchrales coeperunt esse ruinae  
 Lutheri sectae deteriore malo.

Sed Fortuna redux CAROLO sub Caesare SEXTO  
 Reddidit has primo Religionem gregi.  
 Subsidiò variò TRIADI Sacer Ordo Redemptor  
 Fundamenta locat, vota juvante DEO,  
 Numen adorabit Grex Trinum Unumque Fidelis  
 Ut prior hic staret sic Michaëlis honos  
 Absente Hungariae Regni Primate Benigno  
 Principe Purpureo, Saxoniamque Duce.  
 Antistes Primum Nitriensis Adamus ab Erdœd  
 Pro Fundamento consecrat, atque jacit.

His subjecta sunt Chronographica quaedam praesentem annum indicantia:

CLemEnte XI. papaLI Dignitate Insigni.

CaroLo VI. Imperatore hVngariae, & aliis regnis hæreDe regno.

Christiano AVgVsto CarDinaLI DVCE saXoniae Archi-epi-  
 scopo strigoniensi, episcopo iavriensi, hVngariae  
 gentis pto, IVsto, proboque patre.

paLatino regni nicoLao palai ab erDœd ab AVreo VeL-  
 lere, & a secreto Consilio Caesaris.

Creto Insigniori Ministro generali aLexandro.

sVbstitVto & DeLegato generali in his regnis p. Marti-  
 no ab asCensione.

Primus Lapis  
 ponitur.

IV. Rebûs denique universis ad instantem solemnitatem aptè dispositis illuxit dies duodecima mensis Junii. Adfuit tempestivè Illustrissimus & Reverendissimus D. Ladislaus Adamus Episcopus Nitriensis Comes Erdœdus numerosâ famulorum ministrorumque turbâ stipatus, qui utprimùm Pontificali cultu ornatus fuit, praesente, spectantèque innumera populi multitudine, quæ ad hunc Actum videndum undique confluerat; solemnes preces exorsus ædificandi Templi aream in morem supplicationis obivit, eamque undâ sacrâ lustravit. Hòc factò ad ima fundamenti descendit, suisque manibus primum Lapidem collocavit trullam ministrante cœmentariorum Magistrò. Tubæ intereà tympanaque læto clangore insonuerunt, quibus festivum melos pro summo Catholicorum júbilo per aëra spargentibus opus feliciter inchoatum fuit.

CA.

CAPUT IX.

1717.

Imago Beatæ Virginis MARIÆ Templo nostro  
Viennensi donatur; de qua duo mirabiles eventus  
recensentur.

I. **D**Iva Virgo CHRISTI Mater, Cœli Terræque Regina, tu-  
tissimum sanè est in hujus vitæ calamitatibus, quæ nos  
undique circumstant, Refugium: invocata quippe justis auget  
gratiam, peccatoribus impetrat veniam & afflictis solatium. No-  
vit Illa, solas miseras generis humani causam esse suæ Dignitatis,  
utpotè quæ ad supremum Divinæ Maternitatis apicem nunquam  
evecta fuisset, nisi homines in imum miseriarum barathrum ruis-  
sent. Hinc omnium eorum Mater ambit dici, quos Divinissimus  
Ejus Filius pretiosissimo suo Sanguine redemit. Ne autem blan-  
dissimum Matris nomen frustra sibi vendicare videatur, sexcentis  
quotidie favoribus ostendit, quàm Materno affectu humanum  
genus prosequatur, dum nunc miseris subvenit, nunc lapsantes  
erigit, nunc afflictos recreat, seseque Piissimam in omnibus ne-  
cessitatibus nostris Advocatam exhibet. Unde Mariophili omnes  
ad Eam, ceu Dulcissimam Matrem suam grandi fiduciâ confu-  
giunt, e quorum numero unus aptè ad nostrum propositum Il-  
lam his versibus est allocutus:

DEI Mater  
afflictorum  
Refugium.

Festina miseris misereri Virgo Beata,  
Nam si Te recolis, miseri fecere beatam:  
Ergo bea miseros, quorum Te causa beavit.

II. Rem nunc narrare aggredior non minùs miram, quàm  
memorabilem, veram tamen & idoneis testibus comprobam:  
Mulier habitabat Viennæ pro statûs sui conditione re familiari sa-  
tis instructa, nec alienæ opis indiga, utpotè, quæ ex mariti opi-  
ficio & suis œconomicis industriis vitam sat commodè transige-  
bat. Hòc autem annò currentis sæculi septimò supra decimum,  
cùm variis fortunæ vicissitudinibus jactaretur, rebûs repentè di-  
labentibus ferè ad incitas redactæ nihil reliquum fors fecerat,  
quàm Beatissimæ Virginis Imaginem sub titulo Auxiliatricis, qua-  
lis est illa, quæ Passavii in monte extra urbem colitur, ac præte-  
reà paucos nummos sustentandæ vitæ in diem vix suffecturos.  
Hac in egestate unicam spem suam in Beatissima DEIPARA Vir-  
gine repositam habuit: amovit itaque a vetere loco Divæ Virginis  
Imaginem, eamque piis osculis venerata in nostram detulit Eccle-  
siam, rogavitque fratrem, qui sacrario præerat, (vulgò Sacristam  
nominant;) ut hanc, quam gestabat, Imaginem, in aliqua nostri  
Templi ara piæ fidelium venerationi exponeret, addiditque tri-  
ginta, quos etiamnum residuos habebat, crucigeros, solitum ni-  
mirum Missæ stipendium, ut coram eadem Imagine Sacrificium  
celebraretur.

Imago Divæ  
Virginis ne-  
stro Viennensi  
Templo do-  
natur additò  
Missæ stipen-  
diò.

III. Frater Sacrista solerter id se acturum pollicetur, accep-  
tamque Imaginem in scrinia reponit: mulier autem extremò

Donatix pri-  
us egena dite-  
scit.

Rxxxxx a

etiam

1717. etiam terunciò destituta domum rediit. Frater ut promissis suis stare, Imaginem decenter ornatam super Aram Sanctorum trium Regum, stellâ duce DEI Filium in gremio Matris adorantium, collocavit. Hæc ara in nostra Ecclesia ad latus Evangelii postremum locum obtinet, quæ idcirco pro throno dictæ Imaginis electa fuit, quòd tunc commodior in aliis altaribus statio pro ea non suppeteret. Imagine igitur publicæ venerationi exposita, celebratòque Missæ Sacrificiò dicta mulier post breve tempus rediit, pluraque stipendia pro Missis celebrandis offerens gratias egit fratri, quòd Imaginem ornasset, eamque publicæ, sicut optaverat, venerationi exposuisset; aiebat enim, suæque sponte fatebatur, ab eo tempore, quo sacram suam Divæ Auxiliatricis Virginis Imaginem huic Templo donasset, rem sibi familiarem quotidianis incrementis mirabiliter auctam fuisse, seque non solum contracta nomina ex asse diluisse, ac pignora obærata redemisse, verum facultatibus adeò crevisse, ut sibi nunc affatim suppeterent media, unde vitam honestè sustentaret, aliisque beneficeret: manifestam hanc sibi videri DEI misericordiam, atque Divæ Auxiliatricis Virginis opem. Sæpius deinceps mulier nostrum Templum invisit, & donec vixit Auxiliatricem suam, quantò potuit ardentiore affectu, colere perrexit.

Allud mirandum in multiplicatione auri.

IV. Frater Sacrista relationem piæ mulieris mirabatur, dubitabat tamen, utrùm se res ita habuerit. Accidit eo tempore, ut novum folium pro expositione Venerabilis Eucharistiæ Sacramenti conderetur: statuit proinde hanc imaginem, quæ picturæ præstantiâ insigniter se efferebat, huic folio affigere, quatenus imago a folio, folium verò ab imagine novum decus mutuaret. In hunc ille finem artifices conduxit, qui sub pacta mercede opus concinnè perficerent. Sumptus dum colliguntur, quidam devotus duos aureos duplicati ponderis, id est valoris quindecim florenorum ad eundem finem contribuit. Accidit hic rursus res valde mirabilis; etenim cum Frater Sacrista consummato opere artificibus pactam mercedem persolveret, eisque inter aliam collectam pecuniam hos duos aureos sub valore quindecim florenorum (majus siquidem pretium non habuere, quando recepti fuerunt) tradere vellet, illi, ut erant viri candidissimi animi, & a fraudibus alieni, arbitantes fratri pecuniæ pretium non satis perspectum esse, disertè asserabant, aureos hos esse quadruplicis ponderis, & in valore triginta florenorum, sesèque citrà peccatum illos levioere pretio recipere non audere. His auditis frater obstupuit, nec tamen suæ notitiæ satis confusus datorem adivit, quæsitque ex eo, cujusnam valoris fuerint aurei illi, quos non pridem ad opus illud perficiendum præbuisset? Respondit ille, fuisse utrumque ponderis duplicati, valoris nempe quindecim florenorum. Cui cum frater ea retulisset, quæ sibi nuper in solutione artificum evenerant, ille nequaquam induci potuit, ut huic narrationi fidem adhiberet, quòd exactè sciret, quid habuerit, dederitque. Nemo conjicere potuit, quomodò, aut qualiter duo aurei duplicati in quadruplicatos transiverint, nisi quis alterum  
mira-



miraculum velit asserere fuisse factum. Quale revera magis ac magis patuit, & ab eventu illo, qui supradictæ mulieri in materia haud dissimili obtigerat, amplius etiam confirmatum fuit.

1717.

V. Hoc solium ab illo tempore cum eadem Imagine aræ principi communiter impositum visitur; frequens est enim Viennæ ab Austriacæ Pietatis instituto Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenti expositio. Solemnioribus autem pro diversitate temporum diebus alius atque alius producitur principis aræ apparatus, redit tamen post celebratum festum Divæ hujus Auxiliatricis Virginis ornatus.

Solum hoc communiter est in ara principis.

## CAPUT X.

### Vita, & vitæ transitus Fratris Antonii a S. Felice.

I. **Q**UAMVIS omnium eorum memoria cum laude ad posteros transmittatur, qui rerum initia suis humeris sustentarunt, illi tamen multo majore præconio digni censentur, qui præter navatam in novarum foundationum stabilimento operam virtutum pariter prærogativâ floruerunt; hæc enim posthuma perseverat meritorum gloria, illud casui, vel certè occasione tribuitur. Meminimus Fratris Antonii a S. Felice in hujus Historiæ principio, parcè quidem, prout in recensendis etiam minoribus occasio & ratio dictabat: quia verò in finem usque nobiscum perseveravit, majora ex ipso discere licuit, quæ pietatis studiosis incitamenta ad exercendas virtutes suppeditare poterunt.

Initia rerum a virtute magis commendantur.

II. Natus est Frater Antonius noster Salmanticæ in Hispania patre Pictore, quem tamen una cum matre necdum adultus amisit. Parentum solatiò orbatus, quamvis rei familiaris angustiis conflictaretur, honestissimè tamen vitam transiebat nulla alia arte instructus, quàm peritiâ eleganter scribendi, unde tamen exiguum lucrum retulit. Undevigesimum annum supergressus militiæ nomen dedit, Rege Catholico bellum in Lusitanum apparante: sed cum in ipso armorum apparatu pax repente inter dissidentes Coronas coaluisset, exercitibus utrinque dimissis noster Antonius domum repetivit hoste nondum conspecto. Salmanticam itaque reversus aliam vitæ conditionem quæsit, invenitque apud virum nobilem, cui scribendis rationibus deserviebat. Nec tamen hic diu prosperâ usus est fortunâ; sub idem namque tempus magnò multorum incommodò moneta in Regno ad minus pretium redacta fuit. Vir ille nobilis, quia Salmanticensis Universitatis facultates & redditus ex officio procurabat, grande ex hac monetæ devolutione damnum accepit; ut enim ad reddendas villicationis suæ rationes fuit compulsus, non modica ejus debita comparuerunt, quinimò peculatus crimine convictus est, quod non modicam pecuniæ partem ex Universitatis redditibus in usum proprium derivasset. Igitur Universitas ex Juris præscripto cum suo ministro procedens ipsum in carcerem conjecit, publicatisque facultatibus eundem repetundarum postulavit. Nobilis vir ille ab uxore, prolibus & amicis omnibus desertus ad tantam

Patria & parentes.

Fit miles.

Dimittitur.

Amanuentis.

Herus ejus ab debita incarcerationatur, deseritur ab omnibus, ab Antonio mendicari sustentatus.

SSSSSS

venit

1717. venit inopiam, ut necessariis etiam alimentis careret, cuius calamitate motus Antonius noster, qui ei fideliter constantique semper adhaeserat, nihil non egit, ut illius egestatem sublevaret. Amplissimum igitur nactus exercendae charitatis theatrum omnia urbis Salmanticensis asceteria obivit, & pro incarcerato hero quotidianum victum corrogavit, quem etiam hac ratione in sextum annum sustentavit. Incredibilis haec patientia & constantia singulari conjuncta Christianae charitatis exemplo penè omnes in admirationem rapuit, praecipuè tamen illos, qui benè noverant, nulla spe lucri temporalis id fieri.

Mercedem & premium pro fidei servitio recipere abnuvit.

Ob rationem.

III. Post diuturnos ergastuli squalores Vir nobilis ille pristinae libertati restitutus, quod satis agnosceret, DEUM in hac sua extrema necessitate servi hujus operam sibi opem tulisse, cogitare coepit, qua mercede eum remuneraret; sed cum impraesentiarum nihil ei suppeteret, quod pro tantis beneficiis retribuere posset, spondit, se meliore fortuna affulgente ejus quoque memorem futurum. Negavit Antonius se mercedem hujus rei admissurum, quod se obligatum fuisse distitaret ad suppetias ei ferendas ex Charitatis imperio, quò homo Christianus obstringitur proximo suo periclitanti pro viribus subvenire: missionem tamen flagitavit, cum agnitis mundi fallaciis & rerum humanarum inconstantia Religioni alicui nomen dare constituisset, prudenter nimirum arbitratus vocationis gratiam omnibus bonis, quae sub caelo sunt, aut ab hominibus dari possunt, praefendam esse, quam ille solam pro sua mercede a DEO poposcit.

Ordinem Trinitarium prosequitur.

IV. Exinde secum Antonius serio deliberare coepit, quem inter tot urbis Salmanticensis religiosos ordines amplecteretur, invocatoque Spiritu Sancto ad Trinitarios Excalceatos, quos vitae rigor, rerum mundanarum contemptus & Charitatis Institutum commendabat, se vocari sensit. His suppliciter factus sacram Ordinis vestem enixis precibus flagitavit. Nota erat candidati virtus & fama, unde Patres nostri Salmanticenses facile sibi persuaserunt, eum, qui in saecularis vitae licentia tam strenuum pietatis cultorem se exhibuerat, in Religione multò majores in virtutibus progressus facturum; nihil itaque cunctati sacra veste supplicem donarunt, & Vallisoletum ad annum probationis dimiserunt. Ordini nostro aggregatus cognomentum a S. Felice assumpsit, non solum ex devotione erga Sanctum Patriarcham & Fundatorem nostrum, verum etiam quod nunc ob religiosae vitae statum se felicissimum existimaret. Per annum tyrocini regularis vitae observatione, aliisque virtutibus ita se excoluit, ut omnium suffragiis dignus censeretur, quem Patres ad solemnem votorum professionem admitterent. Nuncupatis votis paulò post missus est Pampelonam, in cujus Coenobii servitiis magna Religiosorum approbatione nec minore saecularium exemplò aliquamdiu versatus est.

Vallisoletò Pampelonam mittitur.

Viennam venit.

V. Sub idem tempus Primi Patres nostri Viennam missi, dum ex indulgentissima Caesaris in Ordinem nostrum propensione spem concipiunt novi Coenobii acquirendi, a Nostro Patre Petro a S. Michaële Majore ac Generali Ministro fratrem vitae activae pro-

dome-

domesticis obsequiis sibi submitti petierunt. Designatus fuit Fr. Antonius a S. Felice, qui Superiorum mandatis promptissimè obsecutus se ad viam adeò longam ineundam confestim paravit, Barcinonemque profectus, prima ibi navigationis opportunitate inventa in Italiam trajecit, indeque per Tyrolim & Bavariam pedestri itinere in Austriam contendens, cum idioma Germanicum non calleret, nec regionis monetam nosceret, in hospitiiis, ad quæ victus quærendi causâ diverterat, quando prandium aut cœna erat solvenda, miro candore bursulam cauponi porrexit, ut inde promeretur, quantum pro apposito cibo sufficere putaret. Hospites viri simplicitatem demirati, sæpè minus ab eo, quàm ab aliis pro victu depromserunt, frequenter etiam intactâ monetâ bursulam restituerunt, ejus apud DEUM orationes sibi expetentes. Viennam ut apulit, ex eadem idiomatis ignoratione nostros Patres, qui paucis sub idem tempus adhuc innotuerant, in urbe frequentissima invenire haud potuit. Fortuito casu, nescio a quo, ad hospitalem civium Domum deductus, cum aliis peregrinis & Romipetis receptus publicæ charitatis subsidiò fuit usus. Altera die suos quæsiturus, domum egreditur, si fortè cuidam occurreret, qui vel Ordinem vel Patres nosceret, cujus indicio suos conveniret. Longiùs per urbem progressus a D. Fabiano Bellerotto Cæsaris ad externos Principes Cursore, nostris apprimè familiari, solitarius vagari conspicitur, a quo etiam Hispano idiomate interrogatur, unde veniat, aut quò vadat? Fr. Antonius lætus, se invenisse quempiam, a quo intelligeretur, reposuit se huc missum ex Hispania, ut suos Patres hinc inquireret, petiit idcirco, ut si eos nosceret, illorum habitationem sibi indicare non gravaretur. Subjecit, ad hæc Bellerotus, Patres sibi optimè notos esse, promisitque se habitationem eorum mox ostensurum, sequeretur tantum præcedentem. Adductus igitur in vicum Clavariorum ad domum Argentarii, ubi nostri morabantur, magnò eorum gaudiò exceptus est. Variis de rebus, ut fieri solet cum adventantibus, interrogatus, respondit ad singula, prout sibi constabat. Inter cætera etiam compellatus, an nihil prorsus secum portasset? Ad hæc ille: Nihil prorsus se attulisse respondit præter sarcinulam, quam in domo quadam magna, ubi præteritam noctem peregisset, deposuerat. Rogatus ulterius, num domum nosceret? Respondit, si eam videret, procul dubio futurum, ut eam etiam nosceret. His auditis P. Marus cum illo in viam se dedit, ut domum hanc inquirerent. Euntes magnam urbis partem perambulant, nec tamen indicium aliquod desideratæ domus detegere potuerunt. Tandem in Carinthiacam plateam ultimò delati, cum ibi Fr. Antonius Civicum Xenodochium conspexisset, ad P. Maurum conversus, en Pater ait, hæc est domus illa, in qua sarcinulam deposui, & quæ mihi hefterna nocte hospitium præbuit. Eam itaque ingressi res suas repetierunt.

VI. Advenit Fr. Antonius, dum negotium nostrum circa obtinendam facultatem Viennæ Cœnobium condendi ob multorum oppositionem in arcto versabatur. Ad domestica interim

1717.

Ignarus idiomatis quomodo in via se gesserit.

In Civium Hospitale deferretur & recipitur.

Suos quærit & invenit.

Ejus vita & virtutes.

1717. obsequia destinatus vidit etiam idem negotium feliciter confectum; emptaque Viennæ domo ipse aliquamdiu januam simul & reliqua sui statûs officia curavit. Incremente deinde fratrum numero per plurimos annos eleemosynarum Quæstori Socius est assignatus, quo in munere singulari exemplô bonæ vitæ ac conversationis exteris simul & domesticis præluxit. Domi præsertim ejus obedientia adeò enituit, ut nunquam observatus fuerit, quidquid etiam præciperetur, verbulum aliquod in contrarium opposuisse, aut se propter quotidianas lassitudines excusasse; ut proinde ejus patientia & constantia in perferendis laboribus invincibilis videretur; Læto semper hilarique vultu incedebat, & diu noctûque quibusvis oneribus, ad plura & majora paratus, humeros libenter subjicere solebat. Rerum mundanarum omnium & commoditatum oblitus, sed vel maximè sui contemptu gaudebat vir humilis. Neque unquam sibi verbulum elabi passus est, quod vel absentem vel præsentem posset offendere. Cum omnibus perpetuam coluit pacem & charitatem, ac licet subinde quid asperius audiret, irritari tamen nullatenus potuit; in adversis & prosperis semper sui similis. Paupertatis ita fuit studiosus, ut cum nihil prorsus haberet, nihil tamen sibi deficere crederet, quia nihil in hoc mundo desiderabat. Vestimentum ejus, quanto magis erat attritum, tantò chariùs ei fuit, quem ille paupertatis amorem ad ultimum usque spiritum retinuit: morti siquidem jam propinquus ex aliorum sermonibus intellexerat, sibi propter decentiam pro sepultura meliorem habitum parari, quò auditò Patrem Ministrum humillimè rogavit, ne quid mortuo corpori melius impenderet præter illud, quod viventi satisfacisset, aliis magis merentibus pannum illum impendi posse: in hoc solummodo Superiorum nutui adversari notatus fuit. Præterea victus pauperrimus, qualis in Cœnobiorum initiis haberi solet, erat illi in deliciis, ex quo nihilominus majorem partem inter pauperes distribuendam sæpe reliquit, ipse obviò panis fragmentò ab aliis relicto contentus, quò lautè genio suo se litasse arbitrabatur. Corpus ejus tanta macie extenuatum erat, ut præter pellem & ossa vix aliquid appareret corruptioni obnoxium: ad ultimam tamen usque ægritudinem, quæ quidem ei prima fuit, sanus semper & vegetus permansit.

Morbis &  
mors.

VII. Longa tandem ætate exacta ex fatiscentium virium defectu morbo se aliquò conflictari didicit, ac paulò post luculentius se phtysi laborare cognovit: cum autem vires sustinendo corpori essent impares, jussus est decumbere: nullum tamen ex morbo sensit dolorem, ut ipse testatus est illis, qui eum visitandi causâ accesserant. Cæterum pauca locutus, libenter nihilominus alios de rebus spiritualibus differentes audivit. In DEI voluntatem totò animò resignatus nihil prorsus postulavit, omnibus, ut semper solebat, contentus, nulli molestus; neque vitam magis, quam mortem ad DEI voluntatem in desideriis habuit. Diu decubuit, nec melius, nec pejus ex morbo se habere visus. Ad vitæ terminum appropinquans os & linguam exarescere sibi animadvertit: exinde vocanti Numini in amplexum ruiturus exomologesi animæ  
nævos

nævos expiavit, Sacrum ad iter æternitatis Viaticum sibi præberi, séque ad extremam luctam inungi flagitavit, quibûs obtentis die nona & vigesima mensis Quintilis parùm ante horam primam mediæ noctis ad extrema pervenit, in quibus sinè ullo mortalis angustiae indicio mira tranquillitate ac pace spiritum suo reddidit Creatori. Exanime corpus, nihil a vivo in vultu mutatum, suaviter dormientis similitudinem retinuit, ac sequenti luce, peractis pro more inferiis, in claustro Cœnobii sepulturam accepit.

1717.

VIII. Quàm diu vixit, ad instar candidissimæ columbæ mira simplicitate & innocentia refulsit, nihil in mundo nisi solum DEUM Creatorem suum ambivit, cætera ad se non pertinere arbitratur; mortuus namque mundo fuerat, priusquam moreretur. Mors hujusmodi æternæ vitæ initium dici potest. Felices illi, qui mortalitati moriuntur, & vivunt immortales cum DEO in æternum.

In vitam & mortem ejus pia reflexio.

## CAPUT XI.

### *Memoria posthuma P. Mauri a Conceptione.*

I. **V**ertitur Annus post DEI-HOMINIS Nativitatem in Mille-  
simum septingentesimum duodevigesimum, qui nobis ab ipso statim principio grandem luctûs materiam obtulit: Januarius namque repentino casu nobis eripuit P. Maurum a Conceptione unum ex primis Cœnobii Viennensis Patribus, de quo ab horum Annalium exordio passim differuimus, ut proinde ad ejus funebre elogium pangendum nihil ferè aliud reliquum maneat, quàm ut succinctò stylò cætera quoque ad ejus memoriam pertinentia exequamur.

1718.

Supra frequens ejus memoria.

II. Ortum habuit P. Maurus ex nobili Araauxorum Genere Villazæ in oppido Regni Gallæciæ Auriensis Diœcesis. A primis unguiculis solerti parentum curâ ad omnem pietatem institutus optimæ indolis haud obscura specimina dedit. Procedente ætate Regium Montem (Civitas est ejusdem Gallæciæ) concessit, ubi humaniores litteras a Societatis Jesu Magistris condidit. Hispalim postea missus Archi-Episcopo hujus urbis, qui ex eodem Regno originem ducebat, inter Ephebos deservivit. Indè inspiran-  
Numine ad Ordinem Excalceatorum Sanctissimæ TRINITATIS Redemptionis captivorum vocatus Madritum se contulit. Torrejonem, sive Turriasonum ad annum probationis missus virtutum exercitationibûs probatus per solemnia religionis vota inter Ordinis professos adscribi meruit. Philosophiæ Solanæ studuit, & Salmanticæ Theologiæ, inter cujus Professores Magistrum nactus est P. Josephum ab Angelis, de quo superiùs in variis locis celebris & frequens memoria occurrit. Annò deinde elapsi Sæculi sextò & octogesimo alteri cuidam P. Josepho ab Angelis Generali ad Romanam Curiam Procuratori comes datus in Italiam Superiorum jussu perrexit.

Patria & Natives.

Ephebus Archi-Episcopi Hispalensis.

Ordinem Trinitarium amplectitur.

Studia.

Romam mittitur.

III. Romæ in cœnobio S. Caroli ad quatuor Fontes per annum hæsit, quò evolutò a Nostro Patre Generali Ministro

Indè Viennam destinatur.

Ttttttt

Vien-

1718. Viennam Austriae ablegatur, ut P. Joannis a S. Antonio Socium ageret: evenit autem praeter spem & expectationem utriusque, ut illo Viennam in Hispanias re infecta redeunte ambo sibi invicem Venetiis occurrerent, ut suo loco fusius retulimus. Equidem P. Joannes nihil non egit, ut P. Maurum ab inchoato itinere deterreret, sed ille nullis suasionibus se in transversum agi passus coeptam ex obedientia viam alacriter continuavit. Viennam delatus, quamvis nulla Procuratoriae potestatis facultate esset instructus, destitutam tamen causam illico assumpsit, quod ejus in Sacro Ordine propagando fervorem & studium satis luculenter demonstrat. Ast quoniam hoc opus seniore aliquem & magis expertum virum requirere videbatur, Noster Pater Minister Generalis, ut actibus irritis anteverteret, P. Joannem a S. Augustino, Generalis Procuratoris munere auctoratum, ad Caesaream Curiam quantocyus proficisci jussit, cui P. Maurus operam suam, consilioque plurimum profuit.

Fervor in propagando Ordine.

In duabus Redemptionibus sc. captivos redemit.

Alia ejus itinera.

Officia.

Sacellum S. Joannis Nepomuceni Barcinonae apud nostros statuitur.

IV. Ferebatur autem flagrantissimo zelo in Redemptionem captivorum: unde sub ipsis statim Domus Viennensis initiis operam dedit, ut quamprimum expeditio ad Provincias infidelium pro eliberandis captivis adornaretur, quatenus omnibus liquidò constaret, praecipuum scopum nostri in Caesareas Ditiones adventus esse Redemptionem captivorum. Primam his in oris ipse perfecit, altera quoque vice Tartariam ingressus duplici hoc suo conatu pro facultatum illius temporis tenuitate quinquaginta compositos Christianos in libertatem asseruit. Praeterea eo ipso tempore, quo Redemptoris munere fungebatur, in Hispanias iter fecit, ut pro aedificando Viennensi Templo nostro subsidia corrogaret. Deinde in Polonia Ordinis nostri Commissarius Generalis renunciatus est, ubi tamen non diu substitit. Viennam reversus cum Excellentissimo Domino Ferdinando Bonaventura Comite Harrachio, Caesaris ad Regem Catholicum Oratore, in Hispanias secundo perrexit, diutius ibidem demoratus a Majore Ordinis nostri & Generali Ministro ad Indias eò propagandae nostrae Familiae causam destinatur: verum interveniente luctuosa CAROLI II. Regis Catholici morte res tota evanuit. Iterum Viennam regressus post breve tempus jussu LEOPOLDI I. Augustissimae memoriae Romanorum Imperatoris in Britanniam ob gravia quaedam conficienda negotia trajicere debuit, sed haec res quoque propter urgentiores Catholicae Fidei causas successu caruit. Serenissimum Nostrum CAROLUM III. Regem Catholicum, Archi-Ducem Austriae (nunc Romanorum Imperatorem) in Hispanias secutus in ejusdem obsequiis aliquamdiu haesit, illiusque rebus promovendis omne studium impendit. Subinde Barcinonensis Minister creatus, demum etiam omnibus Ordinis nostri in Catalonia Conventibus sub Commissarii Generalis nomine praefectus fuit. Quo tempore in eodem nostro Barcinonensi Templo Natio Germanica honoribus S. Joannis Nepomuceni, Canonici Pragensis & Martyris, Sacellum extruxit, quod multis postea donis auctum spectato temporis ordine primas inter omnia sibi vindicat, quae in honorem dicti

dicti S. Martyris in his Regionibus visuntur. Tandem CAROLO III. Hispaniarum Rege in Romanorum Imperatorem, hujus nominis VI. electo Viennam rediit, & paulò post in Generalibus Ordinis nostri Comitibus Commissarius Generalis per Cæsarea Austriacæ Domûs Dominia designatus hanc dignitatem triennio administravit; deinde Generalis ad Curiam Cæsaream Procurator nominatus eodem in munere naturæ concessit. Horum pleraque superiùs ubere narratione exposuimus; restat proinde, ut ad recensendum ejus ex hac vita transitum nos accingamus.

V. Die duodecima mensis Januarii absolutis omnibus illius diei functionibus, quibus sanus incolumisque interfuit, circa noctis horam decimam ex Odeo ad cellam rediens, capitis fors vertigine correptus, manibus juxta parietem se tenuit, & consuetis inter nos signis Confessarii copiam postulavit, qui dum accersitur, obvius interea aliquis Patrem ulnis exceptum ægrè in cellam perduxit, & in lectulum collocavit. Vocatus ille Religiosus, qui ægroti Patris confessiones excipere solebat, promptè quidem adfuit, sed infirmus linguæ usum jam amiserat. Sola itaque manuum compressione, ac frequentiore pectoris tunctione doloris & pœnitundinis signa dedit, atque adeò a peccatis absolutus fuit. Accersitus Chirurgus ægroto confestim venam secuit, qui tamen exinde nihil meliùs habuit. Quamobrèm, cum de vita ejus conclamatum esse videretur, oleò sacrò ad extremam luctam inunctus fuit, morbi- que violentià per momenta ingravescente ad agoniam pervenit, quam ultra mediam noctem produxit. Tandem paulò ante secundam noctis horam inter circumfusos comprecantium fratrum choros animam efflavit annò ætatis suæ tertio & sexagesimò jam expletò, die decimà quarta mensis ejusdem in pervigilio S. Mauri Abbatis. Vesperi terræ mandatus est in Cœnobii claustro. Funeris exequias plurimi profecuti sunt ex amicis & conterraneis.

VI. Vir erat rerum agendarum usu & experiencià nulli secundus: Principibus charus, utpotè, quem Princeps Antonius Florianus Liechtensteinius, Georgius Landgravius Hasso-Darmstadius, Dux de Moles, Comites Harrachii, Carolus Comes Wallensteinius, multique alii ex prima nobilitate maxima semper veneratione sunt profecuti, ejusque nunquam non honorificè meminerunt, ut prolixè testantur epistolæ ab ipsis scriptæ, quibus cumulatifsimè ostenderunt, quanti defunctum nostrum fecerint. Has ille principum virorum gratias inculcata vitæ integritate promeruit, tam exactà diligentia religiosi hominis obligationes implere solitus, ut ab omnibus regularis disciplinæ severissimus custos simul & executor censèretur.

## CAPUT XII.

*Imago vitæ Illustrissimi Domini Joannis Ignatii  
Dominici Liberi Baronis de Putz & Turre Aquila.*

I. Eodem mense Januario ex repentino funere Illustrissimi Domini Baronis de Putz & Turre Aquila Fautoris nostri

Ttttttt 2

1718.

Apoplexiâ  
tangitur.

Oleò sacrò  
unctus.

Obiit.

Ejus dotes.

Aliud funus  
chari capitis  
in mense Januario.

1718. munificentissimi luctus iterum recrudit, cujus gratam apud nos beneficiorum memoriam nulla oblitterabit vetustas; octava siquidem & vigesima dicti mensis die in festo S. Agnetis secundò, Patronæ totius Sacri Ordinis nostri, Patronus noster Pragæ septuagenariò major apoplecticò correptus morbò ingenti nostro, & omnium egenorum morore, Charum Caput! vivere desit.

Ortus & Na-  
tales.

Filius pre-  
cum.

Febri laborat.

Pater annò  
Jubilæi. 1695.  
& 50. Romam  
profectus.

S. Edem Lan-  
retanam visi-  
tat.

Romæ sacra  
Lipana im-  
petrat.

Viennam re-  
deunt.

Institutio  
morum & lit-  
terarum.

II. Urbem natalem habuit Augustam Austriæ Viennam, Patre ortus Joanne Sacræ Cæsareæ Majestatis Camerae Imperiali Aulicæ a consiliis. In vitæ lucem prodivit die trigesima Januarii annò millesimò sexcentésimò quadragesimò sextò. Filius precum habebatur; mater enim post partum primogeniti sui Joannis Francisci Edmundi diu improlis mansit, donec tandem conceptò ad S. Ignatium de Loyola votò nostrum Joannem Ignatium Dominicum, diuturno quamvis gravata ægritudinis languore, peperisset. In lucem editus cœpit post triennium pertinace febri conflictari, quo tempore mater ejus convaluit. Pater, qui olim, cum annò CHRISTI Jubilæo millesimò sexcentésimò vigesimò quintò Romæ ageret, votò se obstrinxerat hanc urbem denuò adeundi, si in annum Jubilæum ejusdem sæculi quinquagesimum superstes maneret, desiderii sui compos effectus, votique reus eòdem annò cum conjugè & filio primogenito, necdum quintum & decimum ætatis annum egresso, primò Lauretum in Marchiam Anconitanam auspiciatus est iter, Joanne Ignatio nostro febriente domi relicto. In sacra Lauretanæ Virginis Æde conjugi & filio ægrotantibus propitiâ opem imploravit, & consecutus fuit; conjux enim in ipso itinere, filius autem Viennæ paulò post perfectè convalere: exinde Romam profectus SS. Apostolorum limina rursus invisit, ibidemque Sanctorum Georgii & Agapiti Diaconorum Martyrum corpora cum vasculis, in quibus eorum sanguis asservatur, ac præterea Sanctorum Martyrum Barlaami, Calixti, Christophori, Ægidii & Felicitatis Sacras Reliquias publicè Venerationi exponendas cum litteris authenticis, ut vocant, obtinuit, cum quibus Viennam reversus exactis quatuordecim hebdomadibus filium suum Joannem non sinè magno gaudio a febre liberatum vidit.

III. Pii conjuges tantorum beneficiorum a Superis concessorum memores, ut DEO, Beatissimæ DEIPARÆ Virgini, Sanctisque Martyribus debitas gratias persolverent, constituerunt non sibi sed DEO deinceps vivere: Filium natu minorem Joannem Ignatium Dominicum ad omnem pietatem, ut ætas ferebat, instituerunt, quæ ob præclaram, & parentum nihil degenerem indolem cum annis crescere visa est. Latinis litteris sollicitè eruditus Pragæ Philosophiæ & Jurisprudentiæ operam dedit. Annò CHRISTI millesimò sexcentésimò sexagesimò octavò, ætatis verò primò & vigesimò exteras regiones, ut est apud nos nobilium adolescentium vetus consuetudo, magnis sumptibus invisit, longoque gentium diversarum convictu eruditus præter Latinum, Germanicum & Bohemicum sibi vernaculum, Italicum etiam & Gallicum idiomata condidit, diversorum præterea eventuum experi-



experimentis & historiarum omnium gentium lectione, studioque animum imbuit, ac simul equestria exercitia frequentavit. An-  
 nò deinde ejusdem sæculi septuagesimò quintò Romam ipse Ju-  
 bilæi causâ juxta paternum morem peregrinationem instituit.  
 Reversus ad propria de ducenda in matrimonium conjuge confi-  
 lia suscepit, & annò sequenti, sextò videlicet & septuagesimò, no-  
 bilem virginem Theresiam Frieslebiam sibi connubiò junxit, cum  
 qua, toto quo vixit tempore, per annos unum & triginta ex pa-  
 ri utriusque consensu ad plurium Sanctorum conjugum exempla  
 illibatum servavit castimonie decus. Omne tempus bonis ope-  
 ribus & sanctis exercitationibus impendere studuit, multos pios li-  
 bros propria manu scripsit: in Ecclesiis frequens fuit; sæpe etiam  
 sacras pregrinationes ad pia loca instituit, eaque splendidis donis  
 & muneribus exornavit. Bono publico pariter inservivit, per  
 annos quinque & quadraginta diversis officiis in Cæsaris & pa-  
 triæ obsequio functus laudem integerrimi Ministri ubique obtinuit.

IV. Singularis autem in eo fuit pietas erga DEUM, & cha-  
 ritas adversus proximum: incruento Missæ Sacrificio pro lauda-  
 bili multorum nobilium more quotidie devotissimè adstitit: hic  
 ex CHRISTI passi mysteriis cœlestes animæ delicias hausit; fre-  
 quens minimos etiam conscientie nævos sacrâ exomologesi ex-  
 piabat, & Angelorum pane se reficiebat, cujus rei causâ Sacerdo-  
 tem aliquem semper comitem habere voluit, qui domi, foris &  
 peregrè ei sacra administraret. Divini cultus propagator fuit  
 studiosissimus: Mimonæ in suæ ditionis oppido ad Sanctorum Pe-  
 tri & Pauli Apostolorum sacram ædem magnificam erexit turrim,  
 cœmeterium ibidem cum Templo murò cinxit, & ad quatuor  
 ejusdem angulos totidem sacella excitavit, eaque Sanctis Archang-  
 gelis Michaëli, Gabrieli, Raphaeli & Angelo Tutelari dicavit. His  
 postea quintum addidit, quod animarum in piacularibus flammis  
 laborantium adjutorio deputavit, atque e regione illius parochia-  
 les ædes construxit, quibus adjecit ex sectis quadratisque lapidi-  
 bus CHRISTI Domini nostri, ad eam formam, uti visitur Hie-  
 rosolymis, sepulchrum, juxta quod etiam pro pauperum subsi-  
 dio xenodochium condidit. Neque his contentus in eodem op-  
 pido ædificavit aliud Sacellum Sanctissimæ TRINITATIS Hono-  
 ribus sacrum, cum domo hospitali: ambas structuras annuís cen-  
 sibus dotavit. Corpora Sanctorum Georgii & Agapiti Diacono-  
 rum Martyrum in eodem Sanctorum Apostolorum Petri & Pau-  
 li Templo ad decentiorem locum transtulit, & anniversariam eo-  
 rum Translationis solemnitatem ad primam Dominicam Septem-  
 bris per triduum quadraginta horarum precibus celebrandam in-  
 stituit, atque in hunc finem universales peccatorum condona-  
 tiones (quas vocant Indulgentias plenarias) a Sede Apostolica im-  
 petravit. Ministris Ecclesiæ annuos redditus assignavit, sacris  
 vasis & pretiosis ornamentis eandem Ecclesiam plurimum ditavit.  
 In aliis duobus suarum possessionum oppidis totidem Ecclesias  
 cum parochialibus domibus construxit, ibidemque Sacerdotes pro  
 animarum cura noviter induci, & stabiliri curavit. Alios etiam

1718.

Romam peregrinatus.

Castitatem in Matrimonio colit.

Privatæ pietatis opera.

Publicæ Pietatis opera.

Uuuuuuu

ad

1718.  
Beneficia in  
Ordinem no-  
strum.

ad DEI & Sanctorum promovendum cultum multorum millium florenorum sumptus impendit. Tandem & Ordo noster Trinitarius aditum ad ejus beneficentiam invenit, cujus ipse in difficillimis temporibus Patrocinium in se suscepit. Quæ res non minima causa fuit, ut in Tri-Urbem Pragensem facilius admitteretur, evictisque non paucis nec levibus obstaculis tanti Domini & Patroni liberalitate stabilem sedem nancisceretur. Nobilissimam profectò Ecclesiam ipse in urbe nobis ædificari, absolutam verò & pretiosissima suppellectili ornatam solemniter consecrari, dedicarique fecit. Postea fabricando cœnobio animum applicuit, magnamque partem absolvit, integrum omninò perfecturus, ni mors invida obstitisset; jam enim tractatus cum Architecto de reliqua cœnobii structura iniverat, quos tamen mors improba, quæ ipsum ante tempus ex insidiis aggressa fuerat, magno nostrorum luctu abruptit. Bibliothecam suam domesticam, selectis libris & Manuscriptis locupletem, Conventui nostro Pragensi vivens donavit, post ejus ex hac vita decessum occupandam, quemadmodum reapse contigit. In Testamenti Tabulis, quas pridem condiderat, antequàm adhuc Ordo noster Pragam venisset, illius jam tunc memor, tria florenorum millia legavit, quæ pariter nostro ejusdem urbis cœnobio in partem venere.

Job cap. 1. v. 1.

Ofor hypocrisis

Cur ejus misericordia latere non poterit.

V. Vir erat, ut paucis complectar plurima, rectus ac timens DEUM & recedens a malo, quod in Sacra Scriptura de Vate Hufseo legitur. Opibus floruit, & opum fecundo in bonum usu. Aliis quoque raris & præclaris refulsit virtutibus, quas tamen ut plurimum soli DEO notas esse voluit; Ofor hypocrisis & vanæ gloriæ inimicus. Nihilominus ejus in pauperes misericordia latere minimè potuit, quâ plurimos inopes ad petendum allexit. Non solum indigenæ, verum etiam quivis aliarum gentium egeni domum ejus velut liberale ac commune miserorum omnium promptuarium confidenter accesserunt, ut inde necessitatum suarum levamen impetrarent. Neminem ille exclusit, sed omnibus potius inexhausta charitate subvenit, eisque liberum reliquit nova aliqua calamitate ingruente denuò ad fores suas pulsare. His ille vestes, aliis cibos, omnibus pecunias simul impertitus est, ut nemo satis mirari posset, quomodo ejus opes tantæ liberalitati sufficerent. Domi famuli, & in ejus ditionibus cives & subditi Patrem potius, quàm Dominum sunt experti, beneficus in omnes, pius, clemens & misericors. Nihilo tamen minus post obitum hæredes ejus supra omnem spem & expectationem opes & divitias ingentes repererunt, cognoveruntque, profusissima ejus liberalitate rem familiarem haudquaquam imminutam, sed magnis etiam incrementis auctam fuisse.

Morbus & mors.

VI. Dies vigesimus octavus mensis Januarii, ut præfati sumus, ei supremus illuxit. Manè aliquoties deliquiò tentatus, mox etiam apoplexiâ obrutus, ac denique sensibus repente destitutus fuit. Conclamata itaque ejus valetudine, cum morbus magnis jam passibus ad extrema properare notaretur, unctus est oleo sacro, & a nostris Generali Absolutione, ex hac vita dece-

decedentibus Confodalibus, & Ordinis filiis impendi solita, donatus, circa meridiem horâ undecimâ vitæ finem imposuit, meritorum suorum præmiis in cœlo, ut piè credimus, in ævum fruiturus. Sepultus est nostro & omnium pauperum summo luctu perquam honorificè in Metropolitana S. Viti Martyris Basilica, velut supremis Testamenti Tabulis caverat, ad S. Barbaræ Virginis & Martyris aram propè gradus, quam suis sumptibus nitidam excitaverat, die trigesima ejusdem mensis Januarii, eadem nempe luce, quâ ante duos & septuaginta annos natus fuerat. Nostri Pragenses Patres ad eandem S. Barbaræ Virginis & Martyris aram, ubi requiescit in pace, singulis hebdomadis, non tamen statis, sed ex arbitrio Superioris eligendis diebus pro ejus animæ refrigeriò duo Missæ Sacrificia celebrant in perpetuam sui maximi Benefactoris memoriam. Statim quoque ab ejus obitu solemnibus exequiis parentatum illi fuit in nostra Ecclesia ab ipso constructa non sine lacrymis adstantium. Denique ne consummatæ gratitudini quidquam deesset, in omnibus Ordinis nostri cœnobiis pro ejus animæ requie preces & vota ad DEUM suscepta fuerunt.

1718.

Sepultura;

Suffragia,

## CAPUT XIII.

*Biennalis Belli compendium, & subsequuti ex eo pacis ac commerciorum Tractatus Redemptioni captivorum summè proficui.*

I. **E**TI si probè intelligerem præsentis Belli argumentum non nihil ab instituto historiæ nostræ abhorrerem, rem tamen Lectori gratissimam me facturum putavi, si res ab aliis fusè nimis & prolixè deductas, ab aliis jejunè admodum & tumultuariè tractatas in unum fasciculum colligarem, easque meò stylò in epitomem redactas veluti parvam quandam & genuinam hujus triumphalis expeditionis imaginem eruditis ob oculos ponerem. In hoc ego proposito tantò magis sum confirmatus, quantò clariùs constat, biennalis hujus belli finem numerosissimæ Redemptioni captivorum initium dedisse, quæ sicut a nostris peracta fuit, ita proprium in hisce Annalibus sibi locum vindicat; cujus tamen descriptio multum claritatis amittet, nisi hujus belli cognitio præcesserit, quod occasionem præbuit, ut rapacibus Tartarorum manibus magna Christianorum hominum multitudo, & præcipuè imbellium parvulorum turba in miserandam servitutem arriperetur. His accedit, nostri Conventus Illavienlis Patronum, Illustrissimum videlicet Dominum Comitem Sigefridum Breünerum in hoc eodem bello immanissimè ab hostibus trucidatum fuisse, P. Redemptorem eo tempore Petro-Varadini egisse, cum Belgradum arctissima obsidione premeretur; ac denique celeberrimam illam ad Taurunum victoriam ea die partam fuisse, quâ in nostra Ecclesia Viennensi quadraginta horarum preces pro felici Christianorum armorum successu obibantur. Cum itaque mihi necessitatem impostam cernerem multas hujus belli lacinias præsentem

Causa, eadè hujus belli descriptio præsentis operi inserta fuerit.

Uuuuuu 2

ope

1718. operi inferendi, ut Lector intelligeret, quid huic alterive eventui ansam dederit, malui totius rei gestae seriem a capite ad calcem pertexere, atque hoc pacto Lectori plenam omnium gestorum cognitionem propinare, quam desultoria & velitari oratione ab hoc ad aliud transilire, Lectoris tamen cupiditati nusquam satisfacere. Quod sicut prudentibus omnibus acceptissimum fore confido, ita ad rem propositam exequendam propius nunc accedo.

*Supra cap. 2.  
2177. 2.  
Causa hujus  
belli.*

*Famian. Strada de Bello  
Melg. Decad. 1.  
lib. 2. pag. mihi 34.*

*Vicane Cleri  
populique  
supplicatio in-  
dicitur pro se-  
cisi belli suc-  
cessu impe-  
grande.*

II. Diximus superius Augustissimum Imperatorem nostrum CAROLUM Turcicorum apparatus magnitudine coactum fuisse arma circumspicere; superest proinde, ut causas strictim exponamus, quibus Barbari moti funestissimum bellum Serenissimae Venetorum Reipublicae, atque adeo ipsi Caesari intulerunt; nam ut eloquentissimus Famianus Strada acutè observat: *Historiarum Scriptori praecipuis incumbit, ut, quae pacis, bellive aut seditionum principia, quae horum causa, sive origo fuerit, & internoscatur ipse, & Lectores opportunè submoncat, ne illi perperam de factis erroris occasio subrepat.* Cogitanti autem mihi, quidnam Turcis bilem adeo irritaverit, ut totum sui furoris torrentem in Venetorum ditiones effuderint, & in Hungariam effundere paraverint, duplex in ipso statim limine causa occurrit, quarum altera vera est & genuina, altera praetensa. Genuina hujus belli causa una est ambitio, & Turcis agnata finium proferendorum cupiditas, quam nimium quantum acuit Morea, peninsula ampla, opulenta, & Byzantio valde vicina, quae insuper, quod nemo aliquid hostile metueret, ad bellum perferendum male admodum instructa erat: quamvis autem haec vera belli hujus causa fuerit, Turcae tamen, ut omnem invidiam in Rempublicam derivarent, dicebant, bellum idcirco ab se excitatum fuisse, quod Veneti Peloponesum, antiquum Sultanorum patrimonium, & tribus antea jam saeculis possessum praeter fas retinuerint, mercatores Turcicos aut spoliaverint, aut neci dederint, aut in vincula conjecerint, aut fraudibus circumventos in judiciis oppresserint, seditiosos in Albania Graecos consiliis & subsidiis adjuverint, ac denique Constantini Brankovani Valachiae Principis opes, ad eos missas, aetario suo intulerint, seque proinde justas peculatus poenas ab eis reposcere. Haec ad speciem venditabantur, cum tamen satis constaret Rempublicam Venetam summa integritate pactis foederibus fidem servasse, nemini mercatorum, nisi aggressori, vim intulisse, nullum iniquo iudicio circumvenisse. Haec licet Caesareus Minister Fleischmanus Magno Vezirio sollicitè inculcasset, surdis tamen auribus excipiebatur, ut proinde Caesar tanquam praecipuus Carloviczensis pacificationis sponsor & fidei-jussor necessitatem sibi impositam viderit, cum Venetis in societatem armorum descendendi, & Turcas cruento bello ad restitutionem eorum adigendi, quae Venetis praeter fas ademerant. Ut autem hoc bellum toti Christianae Reipublicae DEUS beneverteret, Dominicam sextam post Pentecosten id est duodecima die Julii anno superiore saeculi decimo sexto indicta totius Cleri populique supplicatione Caesar Divini Numinis opem imploravit; de cernendum siquidem erat cum hoste ferocissimo, ex nupernis in Oriente

1718.

Oriente successibus elato, qui Viennam & Romam spe sua jam devoraverat. Turcæ porrò ne Cæsari quidpiam de pietate concederent, & Mahometis sui favorem certius sibi conciliarent, immane crudelitatis spectaculum ediderunt; appropinquante enim ad Hungariæ confinia Vezirio cum exercitu quidam Sacrificulus eorum proximum colliculum conscendit, facièque adversus Christianorum Regiones conversa gladium strinxit. Hunc manibus tenens Christianos omnes diris devovit, eisque inter confertas execrationes & imprecationes maledixit. Postea gladium ter per aërem super caput suum circumduxit, ac demum cuidam captivo Christiano caput amputavit, monuitque astantes, ut suum exemplum imitarentur, & Christianos omnes e medio tollerent, pollicitus, eos hoc pacto rem DEO & Mahometi gratissimam facturos.

Invigilant sibi nostri.

III. Rebus ex utraque parte ita constitutis Cæsarei milites, ut in omnem eventum parati starent, ineunte Vere sensim Futakini convenerunt, Turcarum molimina observaturi, aut si Barbari hostile quidpiam auderent, vim vi propulsaturi; quamvis enim utrinque ingenti strepitu arma pararentur, anceps tamen diu manebat, essentne Turcæ Sanctas induciarum leges violaturi: ast postquam certis nunciis percrebuit, Magnum Vezirium ingenti ducentorum millium exercitu stipatum Panoniæ appropinquare, de imminente bello nihil jam dubitare licebat. Cæsarei itaque, ut hostiles conatus anteverterent, Duce Löffelholzio, Petri-Varadini Governatore, primi in campum prodierunt & *Mitroviczam*, cis Savum situm præsidium, aggressi illud Turcis facilè negotiò extorserunt. Langletus præterea Tribunus aliud quoque propugnaculum, *Racza* nomine, in ejusdem fluminis litore extractum occupavit, non quidem ut hosti clarigationis indicia præberentur, sed quòd Mitrovicza propriè ad Cæsarem pertineret, eamque Turcæ adversus fœdera nonnisi Imperatore connivente possiderent: *Racza* verò Musulmanis eripienda erat, ne hoc locò ad pontem struendum abuterentur, severissimè cæteroquin cautum fuit, nequa barbaris violandarum induciarum occasio daretur.

Cæsarei Mitroviczam occupant.

Et Raczam.

IV. Sed quamvis Cæsarei Raczam subjugaverint, Vezirius alibi Savum transgressus Löffelholzio extrema omnia minitatus est, nisi intra triduum Petri-Varadinum dederet. Juvat litteras ipsas referre, quæ Vezirius insolentissimo prorsus fastu conscripsit, & ad Cæsarea Castra transmisit. Has ex Turcico idiomate in Latinum translata subijcio: *Petri-Varadini Governator! Trade Magno Sultano hoc Præsidium, quod Dominus tuus injustè possidet. Hoc si tu feceris, liceat tibi cum tuis militibus & facultatibus omnibus emigrare. Sin autem: noveris mihi propositum esse, nemini parcere, sed omnes promiscuè patibulo affigere.* Hòc intellectu Cæsarei, qui ad illud tempus usque Futakini semper hæserant, ad inevitabile bellum seriò jam se accingere cœperunt. Mittitur proinde Comes Joannes Palfius cum delecta duorum millium, & octingentorum militum manu, qui Turcarum machinationes observaret, nihil tamen hostile tentaret. Is Carloviczium delatus in qudraginta Barbarorum millia incidit, a quibus undique circumfusus, ut reditum

Vezirius Petri-Varadino deditionem imperat.

Prima velitatio.

XXXXXXXX

sibi

1718. sibi ad Christianorum exercitum aperiret, manus conferere coactus est. Ordines itaque suos densatis agminibus in cuneum stringit, & barbaros horrifono clamore irruentes tanta cæde repellit, ut licet ipse binis jam equis amissis in tertium eluctatus fuerit, armata tamen manu sibi viam ad Cæsarea Castra afferuerit, mille hostium trucidatis, & quinque Turcicis signis relatis, cum ipse ex adverso quadringentos duntaxat suorum amiserit, quos inter maximè deplorabatur Comes Sigefridus Breunerus, nostri Cœnobii Illaviensis Patronus, & ejusdem oppidi Toparcha, qui infausto sonipedis, cui infederat, lapsu in terram dejectus, avidè a Turcis abreptus, ac paulò post crudeliter occisus fuit, ut suò locò memorabimus.

Comes Breunerus captus,

Ambo Exercitus sibi occurrunt,

Petri-Varadini in munus Conspicuum veniunt.

Constitutus ad Petri-Varadinum.

V. Hac velitatione, tanquam præludiò secuturi belli, in hunc modum transacta, utriusque partis exercitus sibi invicem in occursum properarunt, armis rem totam decisuri. Princeps Eugenius trajectò sinè mora Danubiò copias suas in vetera valla, multis abhinc annis a Caprara Comite circa Petri-Varadinum extructa, succedere, & hiantia alicubi, alibi jam penitus obtrita operatumultuario labore refici curavit; quo opere nondum completo jam adfuit Vezirius, suaque castra dimidiæ horæ intervallò ex adverso Cæsareorum in amœnissimo clivo collocavit, qui lætissimum prospectum in omnem latè circumsitam regionem pandebat. Nec diu pigratus, cum Cæsarei interpollandis vallis etiamnum operam darent, ille erectis ad quinquagesimum a Christianorum statione passum suggestibus cœpit æreis machinis, & ignivomis globis castra nostra infestare, prælium deposcere, & Löffelholzio minacissimis verbis denuò Petri-Varadini deditioem imperare.

VI. Eugenius Princeps, ut vidit, hostica opera vallis suis jam propius accedere, statuit decretoriâ pugna rem Christianam tueri, & litem dirimere. Quartâ Augusti data sunt præcepta futuri certaminis: sequente verò die, in ipso videlicet festo S. MARIÆ ad Nives sub septimam matutinam cruentissimum prælium exarsit, utraque parte in vincendi, aut moriendi proposito pertinacissimè obfirmata. Alexander Wirtenbergicus pugnam auspiciatus, tantòque ardore in hostem invehctus fuit, ut inter perpetuos ignes peditatum Barbarorum locò cedere coegerit, occupatòque decem tormentorum aggere, quæ confestim in priores dominos suos obversa fuerunt, tam immanem stragem ediderit, ut Turcas ex omnibus munitioibus, quas castris suis prætenderant, uno impetu ejectos in proximas valles proturbaverit. Quamvis autem dexteræ Cæsarei Exercitus alæ non eadem fortuna arrideret, (utpotè quæ iniquissimò locò conclusa nec spacium habebat suas acies explicandi, aut ab equitatu, iisdem angustiis coarctato, subsidium petendi, ut proinde semel iterumque a Turcis in sua valla retrusa fuerit) invicta tamen virtute ad extremum Barbarorum agmina perrupit, & explicatis ordinibus in hostes irruit. Cædes tunc non pugna fuit. Spahii Germanicis equitibus undique circumdati, & impulsii non diu substiterunt, sed pro solemnii suo in  
aper-

apertam fugam effusi peditatum destituerunt, in quem Victores tanta rabie grassati sunt, ut etiam & isti confestim talaria induerint, suæque salutis velocissimo cursu consuluerint. Vezirius totius belli fax & tuba, cum acies sui exercitus inclinari videret, satius ratus in pugna occumbere, quam irati Sultani furorem experiri, cum præcipuis ducibus, ne inultus moreretur, in confertissimos hostes irruit, diuque ferociter dimicavit, donec tandem duabus glandibus perfossus truculentum spiritum evomuerit. Hora a meridie quinta integrè debellatum fuit, paucis captis, quod Victores paucissimis vitæ gratiam facerent. Cæsa sunt in hoc prælio ex parte hostium triginta millia cum Vezirio & Janissarorum Aga, ex parte Christianorum occubuerunt duo millia centum & octo: bis mille autem trecenti, & unus vulnerati fuerunt.

1718.

Plena Victoria  
cedis nostris.

VII. Hostibus in hunc modum profligatis, Cæsarei milites Turcarum castra subeunt, ut spolia, quorum ingens vis a fugitivis relicta fuit, colligerent. Ad tentorium magni Vezirii delati viderunt capita Christianorum, in priore ad Carloviczium velitatione captorum, stipitibus affixa per circuitum Prætorii eminare; ubi etiam truncum & compedibus illigatum corpus Comitis Sigefridi Breüneri, nostri cœnobii Illaviensis Patroni, calido adhuc sanguine conspersum reperere, cui Vezirius post desperatam victoriam caput amputari iusserat, quod aliis, ut opinor, lytrum tam nobilis captivi invideret. Indolere omnes tanti viri calamitate permoti, quem nemo non meliori sorte dignum prædicabat. Fama necis ejus citò ad Illavienses quoque Religiosos nostros pervenit, qui obitum amantissimi sui Patroni acerbè prorsus tulerunt, eidemque pro solatio luctus sui magnificentissimis inferiis parentarunt.

Nostri ad spolia  
vertuntur.

Comitis Brei-  
neri funesta  
mors.

Ejus Illavis  
exequia.

VIII. Miles indè ad legendas manubias conversus opulentam sanè, tantæque victoriæ nihil imparè prædam nactus est; victoribus siquidem quinquaginta millia papilionum, ingens copia nitrati pulveris, pilarum, & glandium plumbearum, duo millia camelorum, duodecim millia saccorum orizæ, centum, quadraginta & novem diversæ formæ tormenta ænea, quinque caudæ equinæ, bis mille quingenta farinæ dolia, quingenti currus fabis Arabicis, Caffèe, & panibus biscoctis onusti, in prædam cesserunt: centum præterea quinquaginta & novem signa militaria reperta sunt, armorum omnis generis incredibilis numerus, totum ærarium minus, pecoris autem tanta multitudo, ut ejus numerus iniri nequiverit.

Prædæ ma-  
gnitudo.

IX. Palantes & dispersos hostes Principi Eugenio persequi non est visum, tum quòd vires eorum, quamvis accisas, suis tamen etiamnum multò majores esse sciret; tum quòd veteri axioma suo dicere soleret: *Fugienti hosti aureum esse pontem sternendum.* Ipsa tamen Barbarorum trepidatio eis plus damni dedit, quam si totas Legiones tergo suo semper inhærentes habuissent; cum enim ipsi virium suarum fiduciâ pontes a tergo rupissent, in fugam deinde acti flumina infilierunt, & majorem partem vorticibus absorpti fuerunt: ita eis in summam perniciem vertit,

Principis Eu-  
genii adagium

A Turcis pon-  
tes rejecti in  
malum ipsis  
cesserunt.

1718. quod ipsi animandorum militum gratiâ perpetraverant, quos obstinatiùs Christianis restituros crediderant, si nullam sibi, nisi ab armis salutem superesse intelligerent: sed haustus semel in medullas pavor omnia præsentibus tutiora depingit. Perierunt itaque majori numerò, quam si emissi velitum manipuli eorum vestigia semper pressissent. Cùm tamen omnes flumina superare non possent, multi in circumstitis frutetis & virgultis se occuluerunt, qui postmodùm a Cæsareis militibus sparsim deprehensi, & ex latebris suis protracti ad instar silvestrium ferarum contrucidati fuerunt. Exercitus deinde noster se in pridiana castra recepit, ubi inter festivum tubarum, tympanorùmque clangorem, & exquisitissimum Musicorum concentum omnes magna exultatione DEO Exercituum pro collata victoria solemnes gratias egerunt.

Fugientes miserè cæduntur.

Temesvarinum obsidione cingitur.

Turcarum suppetias profigantur.

Temesvarini descriptio.

X. Aucto subinde novarum copiarum accessione Christiano Exercitu, cùm tempus ob imminentis Autumni viciniam multò esset angustius, quàm ut diurnæ Belgradi obsidioni sufficere videretur, Princeps Eugenius Temesvarinum intercipere decrevit; cui consilio ipsam quoque cælum obstetricabatur, quod insolito calore exæstuans paludes omnes siccaverat, quibus alioquin dicta civitas latè circumdatur, & dehiscente sub pedibus uligine non modò militarium fossionum labores eludit, verùm etiam hostili Exercitui propiorem accessum negat. Transmissò itaque Tibiscò urbs ipsis Kalendis Septembris arctissima obsidione cingitur, viæ obsidionales aperiuntur, suggestus tormentarii excitantur, iisque perfectis civitas undique æneis machinis & igniariis ollis infestatur. Hæc inter Belgradi Gubernator, quem e nuperno prælio elapsi Janissari propria auctoritate sibi Vezirium creaverant, in omnes se vertit partes, ut periclitanti urbi suppetias ferret: in hunc itaque finem Janissarorum Agam cum viginti peditum millibus expedit, ut perruptis Christianorum castris in urbem succederet, eamque comætu ac milite recrearet. Sed ille vix Begham fluvium transgressus fuerat, dum a Cæsareo equitatu circumfusus magna cæde reprimitur, multisque nobilium Præfectorum interemptis vestigia relegere cogitur, nullò aliò operæ pretiò factò, quàm ut civitas, se omnis auxilii spe nunc destitutam videns, deditionem maturaret.

XI. Temesvarinum quatuor tunc partibus constabat (hodie siquidem Germanorum industriâ aliam, eamque longè splendidiorem faciem induit) civitate nimirum, Arce, ac duobus suburbiis, quorum alterum Insulam, alterum Palanckam Turcæ nominabant. Insula paludi innatat, quam inter & urbem arx in quadrum extructa consurgit: urbs ipsa Temesio flumini assidet, duabusque fossis, totidemque firmi operis muris munitur, ac prætereà triplici vallorum ordine sepitur. Palancka urbi prætenditur: ipsa quoque fossâ profundâ, quam Begha flumen inundat, & vallo præaltò ambitur. Hanc prius expugnare libuit, ut expeditior ad interiorem civitatem accessus complanaretur. Festinatione etiam opus erat; quod si enim vel unius diei pluvia intervenisset, Cæsarea castra in paludes subsedissent, atque adeò spes potiu-



potiundæ urbis decollâset. Kalendâs igitur Octobris Alexandro Wirtembergico affiliendi provincia demandatur, Palsiô jussô in latere Beghæ hostem cæca aggressione ludificare. Res ex voto successit; quamvis enim Turcæ densis agminibûs super valla consistentes rabido furore repugnarent, & perpetuis tormentorum, concisô ferrô factorum, explosionibûs in affilientes grassarentur, Cæsarei tamen pugnandi ardore abrepti contempta missilium ignium peste partim undas insiliunt, partim pontem conscendunt, uno deinde impetu in hostes irruunt, valla exuperant, pulsisque ad urbem Turcis intra ipsam Palanckam & civitatis fossam stationem capiunt. Cæterùm Palancka tota a Cæsareis non minus, quàm a Turcis succensa conflagravit, exiguô nihilominus damnô, quòd ligneis duntaxat ædibûs constaret. In hoc pertinacissimo certamine trucidata sunt duo millia hostium, illis non computatis, quos vorax flamma absumpsit: quadringenti præterea & sexaginta, dum tardiùs se ad urbem recipiunt, a suis exclusi Cæsareis in prædam cefferunt, & ademptis armis captivi in nostra castra deducti fuerunt. Christianorum in hoc assultu quadringenti quinquaginta & unus occubuerunt: mille autem non-genti & septem vulnerati sunt. Tanti stetit firmum aditum ad hujus urbis obsidionem aperire.

1718.  
Assultus in  
Palanckam.

XII. Expugnatâ in hunc modum Palanckâ omnes Cæsarei Exercitûs vires in ipsam urbem conversæ fuerunt. Hanc Princeps Eugenius tam densa immanium pilarum & ignivomorum globorum grandine infestavit, ut nemine intra civitatem consistere auso non solùm ipse Gubernator necesse habuerit sub saxeo fornice latitare, verùm etiam miles prædiarius unius portæ usum abdicare. Consultabant itaque inter se Turcæ, quid in extrema hac necessitate factu opus esset? Dederintne urbem, an illam diutiùs propugnarent? Ultimam partem sustinebant Janisfari, qui omnia potiùs experienda dictitabant, quàm præsidium adeò nobile, totius Imperii Orientalis munimentum hostibus tradere. His adversabantur Spahii, deploratam jam urbem asserentes, spem nullam auxilii superesse, nemini in civitate securitatem restare, stragem & damna indiès augeri, unde inferebant, deditioem maturari debere, cùm aliud jam fieri non posset. Illis ità inter se verbigerantibus die duodecima Octobris ad Alexandrum Principem Wirtembergicum ordo imperii rediit, qui effuso in urbem toto ignium torrente tribûsque millibûs ac septingentis pilis injectis omnem dubitationem sustulit, & vel ab invitis Barbaris deditioem consilia extorsit: candidis proinde super mœnia vexillis expansis pacem sibi cordi esse significarunt. Acceptis, redditisque obsidibûs in hæc utrinque pacta celeriter conventum fuit, ut libera omnibus (si perduelles & transfugas excipias) abeundi copia fieret, captivi utrinque redderentur, annona publica & totus bellicus apparatus in civitate remaneret, Christiani ex adverso mille plaustra suppeditarent, quibus Turcarum ope & infirmior ætas octidui spaciò Belgradum aveherentur.

Urbs obside-  
tur.

Turcarum  
perplexitas.

Urbs ad dedi-  
tionem cogi-  
tur.

1718.

Turcae emi-  
grant, Chri-  
stiani succe-  
dunt.Templum S.  
MARIAE SE-  
RENÆ.Quot loca  
Temesvarini  
caus ad se  
traxerit.Mercius Ban-  
czovam & U-  
palankam oc-  
cupat.Vetraschius  
Bosniam de-  
populatur.  
Croatae alia  
damna infe-  
runt.Dettineci in  
Valachiam  
excursio.

XIII. Approbatis mutuo ambarum partium consensu hujusmodi conditionibus Cæsarei extemplo unius portæ possessionem adiverunt. Turcae verò, quamvis bellici honores eis permitti fuissent, pecoris instar palando, & in diversa abeundo dilapsi fuerunt. Duodecim eorum millia præsidio excefferant, grandem vim annonæ, & ingentem numerum Tormentorum, aliorumque bellicorum utensilium post se relinquentes. In eorum locum successerunt Christiani, qui primis de Religione curis susceptis templa omnia a nostræ fidei hominibus olim extructa, & centum jam ac sexaginta quatuor annis Turcarum impietate profanata ritu Catholicæ Ecclesiæ expiârunt. Majus Templum Sanctissimæ Virginis MARIAE sub titulo SERENÆ dedicatum fuit, quòd insolita aëris serenitas, quam pii omnes Reginae Cœlorum patrocinio in acceptis referebant, maximum momentum ad urbis expugnationem attulerit. Solemnes deinde gratiæ Altissimo DEO decantatæ fuerunt, tantò omnium majori lætitiâ, quia urbis hujus casus omnem circumsitam Regionem cum dominio nongentorum & octoginta oppidorum Cæsaris potestati subjecit. Quibus operosè simul ac gloriosè peractis victor miles in hiberna secessit, integrâ Hungariâ Turcis ereptâ, & Transilvaniâ in tuto collocatâ.

XIV. Licet autem miles in hyberna stativa dimissus fuerit, infestæ tamen partes mutuïs procurfionibus se invicem laceffere ne per hyemem quidem desiere; Mercius enim Tribunus collecta militari manu *Banczovam* munitum admodum, & sesqui horæ intervallò a Belgrado sejunctum oppidum cinxit, facilique negotiò ad deditioem coëgit. Indè digressus triduo itinere *Uipalankam* contendit, quò vix delatus, cum præsidio deditioem imperasset, obvium statim habuit loci Governatorem, qui abeundi libertatem pactus cum suis militibus emigravit, & Rambam, trans Danubium sitam Arcem, concessit. Baro Petraschius cum expedito agmine Bosniam invasit, captisque plurimis locis totam ferè Provinciam depopulatus est. Croatae quoque fines suos egressi Turcicas ditiones ad Unam usque fluvium vastaverunt, diversas arces occupârunt, multasque domos annonarias magnò Barbarorum damnò combusserunt. Nemo tamen omnium hac hyeme Portæ Ottomanicæ sensibilius vulnus inflixit Dettineo Centurione; Valachi namque Austriacorum studiosissimi, cum a suo Principe ob notam erga Cæsareos propensionem graviter vexarentur, opem a supremo Transilvaniæ militum Governatore postularunt. Hic ut eorum desideriis velificaret, Stephanum Dettineum cum delecta equitum cohorte in Valachiam misit: ille verò tanta celeritate cum suo agmine Bukarestum, Principis sedem, advolavit, ut famam etiam sui adventus anteverterit. Igitur subito ad hanc urbem delatus, nemine hostile quidpiam suspicante, amplissimam rei benè gerendæ nactus est occasionem, cui etiam ipse minimè defuit; trucidatis siquidem paucis Turcarum Tartarorumque manipulis, qui vallorum custodiam susceperant, aut primo tumultu excitati concurrerant, nemine deinceps obfistente ad palatium penetravit, ibidemque Principem, nihil minus

me-

metuentem, cum conjuge, liberis & universa familia interceptit, assertis in libertatem nobilibus & Abbatibus, quos furor Principis victos detinuerat, Valachis non solum nihil contra hiscentibus, verum etiam, quod Dettineus nullius fortunis vim inferret, nemini ad redimendam vitam æs imperaret, haud obscure faventibus. Huic subditorum dissimulationi ansam dedit Principis crudelitas, qui in suspectos de studio erga nomen Austriacum convitiis, ferro & laqueo grassatus est, nulla ne sacrarum quidem personarum habita ratione, utpotè, qui paucis ante Dettinei adventum diebus, præter complures Abbates & Monachos vinculis mancipatos, supremum Provinciæ Episcopum capite multaverat. Porro Dettineus capto Principe nihil diutius morandum ratus, ne Turcæ fortassis, aut Tartari per regionem sparsi totis viribus ad Principis auxilium convolarent, cum nobilissima præda se illico in Transilvaniam recepit, & Principem velut in triumphum secum Cibinium adduxit, magna Cæsareæ Aulæ approbatione, nec minore Turcarum rabie, qui tanta ubique Christianorum felicitate irritati, ut Cæsareis in Valachia frænum injicerent, & suos aliquantisper dolores solarentur, Ductore Seraskierio Mehadiam, munitam in Valachia arcem, ad Temesinæ Ditionis collimitia sitam, obsederunt. Præerat munimento Hetlevallius summus Wilzekianæ Legionis Vigiliarum Præfectus, qui licet Præsidium aliquamdiu strenuè defendisset, numerosissimo tamen hosti impar ditionem pactus est, libera Temesvarinum abeundi potestate obtenta. Enituit hoc tempore insolita barbarorum humanitas, qui sicut in eodem præsidio ægrotis & vulneratis militibus ingenti charitate subvenerunt, ita ex hoc titulo merito commendandi veniunt. Consimili felicitate Tismonam, tumultuario opere extructum præsidium, paucisque levis armaturæ equitibus infessum agrediuntur, cæsisque ferè omnibus militibus occupant.

XV. Has inter alternas clades dum hyems transigitur, Aulla Byzantina vindictæ stimulis agitata vias omnes & rationes investigavit, quibus damna, priori annò accepta, multarum urbium expugnatione refarciret. Non deerant quidem Portæ Ottomanæ Procures, qui superioris anni eventibus perculsi pacem petendam prudenter suaderent, quam & ipse Mustius, supremus Mahometicæ superstitionis Sacrificulus cum tota plebe in votis habebat, sed prævaluit turbidorum sententia, qui tam nobilis urbis, qualis est Temesvarinum, eidemque annexæ fertilissimæ provinciæ jacturam bellò refarciendam dicitabant. Hòc probatò consiliò, quia desiderabili, immanibus curis denuò bellum & ejus ingens apparatus agglomerari cœpit. Suprema exercitus Præfectura in locum prioris infelicis Vezirii Petri-Varadini, ut narravimus, cæsi Calib Bassæ defertur, viro priori nihil dissimili, sive animum, sive fortunam spectes, cujus operà quatuor statim purpurati tanquam præcipui pacis buccinatores e medio sublatis fuerunt. Ut autem territam plebem in spem meliorem erigeret, per suos emissarios in vulgus sparsit, damna prioris anni fuisse prorsus exigua & facile reparabilia: integras etiamnum esse vires Orientis, non tantum

1718.  
Principem Valachie capit, & in Transilvaniam abduxit.

Mehadiam Turcæ expugnant.

Turcarum humanitas.

Turcarum apparatus ad bellum.

Novus Vezirius creatur.

1718. Ingentem Ex-  
ercitum con-  
scribit. amissis recuperandis, verum etiam novis expugnandis suffecturas. Et ut fidem verbis faceret, lectissimos quosque milites ex toto Ottomannico Imperio excivit, Tartaros plurimos ingenti aere conduxit, Christianis & Judæis duplicata tributa imperavit, maximam annonæ copiam conveyi jussit, viride etiam Mahometis vexillum, ut plures religionis hamô inescati confluerent, Adrianopolî palam extulit, frendente nequidquam Mufftio, sacerrimum suæ superstitionis cimelium discrimini exponi. Classem, quâ Danubium infestaret, in portibus Maris Euxini contraxit, ac improbo labore exercitum ducentorum millium armatorum congregavit, cui, ut Sultanus animos adderet, sedem suam Constantinopolî tantisper Sophiam Bulgariae Metropolim transtulit, quatenus ejus viciniâ miles erectus præmiorum spe fortius pugnaret. Quamvis enim exercitum orbi propè domando parem conscripisset, nihil tamen se eò effecturum, nec cupitum Hungariae imperium recuperaturum putavit, nisi ipse cupidati suæ e propinquo excubaret; ambitio siquidem metum semper ad instar pedissequi post se trahit, quæ licet exterius magnam fiduciam præferat, interiùs tamen perpetuo pavore, ceu teredine quadam exeditur. Scilicet inflata ulcera, quantò altius turgent, tantò majorem dolorum materiam occultant.

Sultani ambi-  
tio.

Christiano-  
sum belli ap-  
paratus.

Numerus mi-  
litum.

Classis Nava-  
lis in Danu-  
bio.

Pletatis sub-  
dia adhiben-  
tur.

XVI. Hæc inter Augustissimus Imperator CAROLUS sibi minimè defuit, sed ipso hostilium apparatusum tumultu incitatus curas suas in sequentis anni expeditionem acriùs defixit; frequentissimos proinde militum delectus per universas ditionum suarum Provincias habuit, iisque centum & sexaginta duo armatorum millia congregavit, e quibus centum & septendecim millia asserendæ Hungariæ deputavit, armis, equis, opibus & animis instructissima. Rei celebritate prætereà ex universa penè Europa allekti viri principes confluerunt sacræ militiæ operam suam commodaturi. Viennæ quoque in ripa Danubii classis actuariarum navium novæ formæ extruitur, quæ hostiles eruptiones compesceret, & Cæsareo Exercitui in diversis eventibus opportunum subsidium præstaret, cujus etiam deinde diversis in occasionibus usus fuit. Ex his facilè apparebat, Belgradum designari, cujus obsidio, ut optatum eventum sortiretur, armatæ classis operam requirebat.

XVII. Cæterum cum humani conatus facilè in fumum abeant, nisi Divini Numinis auxiliô fulciantur, ad hoc impetrandum præter privatas omnium Christianorum preces Viennæ ad nonam diem mensis Maji, quæ hujus annô sæculi labentis decimô septimô in Dominicam *Excaudi*, nempe post Festum Ascensionis incidit, solemnis indicta fuit, Cleri populique ad Cathedralem S. Stephani Proto-Martyris Basilicam Supplicatio, cui ipse Cæsar cum omnibus Augustæ Aulæ Proceribus interfuit. Decretum prætereà, ut singulis diebûs per æstatem quidem horâ sextâ, in hyeme verò horâ septimâ matutina per omnes Ecclesias ære campano signum daretur, quo universi urbis incolæ ubicunque agerent, ad pias preces pro felici Christianorum armorum successu fundendas admonerentur. Preces quoque quadraginta horarum eò annô Viennæ

exor-

Viennæ exordium sumpserunt, quæ singulis exinde diebûs successivè per omnes urbis & suburbiorum Ecclesias celebratæ ad hæc usque tempora pro incremento & conservatione Augustissimæ Domûs Austriacæ laudabiliter continuantur. Severis deinde editis repressa vivendi licentia, vestium luxus, vanitatum illecebræ, aliique vitiorum fomites spem fecerunt minimè dubiam, Clementissimum DEUM Christianorum Causæ patrocinatorum.

XVIII. His ita constitutis Serenissimus Princeps Eugenius, Cæsareæ militiæ Archi-Strategus, cum jam in procinctu ad iter ineundum staret, Imperatorem pro more prius adivit, suprema mandata capeffiturus. Hunc Augustissimus Monarcha incredibili benevolentia primùm excepit: Fronte deinde ad severitatem composita, postquam expeditionis magnitudinem, belli dubiam sortem, spem orbis, & pericula, quæ ex sinistro hujus belli eventu in totam Christianam Rempublicam redundare possent, luculenta oratione ei ob oculos posuisset, subjunxit tandem, esse sibi, quem ipsius armis præficeret, & cujus imperiis illum gerere morem oporteret. Hæsitante ad hæc Principe novumque Polemarchum, se majorem, avidè pernoscere cupiente, Cæsar Crucifixi Salvatoris nostri Imaginem radiantibus gemmâs distinctam, aurôque largiter obductam produxit, & sereno vultu ad Principem conversus: *Hunc tibi, inquit, totique Ducem Exercitui ac Imperatorem præficim; hujus auxilio, nutuque pugna, certus, aut pro isto vincere, aut mori.* Lætus hoc Belli Duce Princeps Eugenius Imperatori plurimas grates persolvit, & sequenti die iter ingressus secundò Danubiò Futakinum contendit, ubi etiam vigesimâ primâ Maji salvus & incolumis appulit. Est autem Futakinum, ut hoc obiter ex Drieschio inferamus, pagus ad Danubii marginem situs, in quo Cæsarei domum annonariam extruxerunt. Latissima hunc ambit planities, ubi propter viciniam fluminis, & pascuorum commoditatem, rerumque omnium comparandarum maximam opportunitatem noster miles ordinariè superioribus in Hungaria bellis prima castra metari consuevit.

XIX. Eugenii adventus totius Exercitûs animos recreavit, inque spem victoriæ erexit: Princeps autem, cum hoc annò Belgradum expugnare constituisset, vias omnes rimari cœpit, quibus militem minore detrimento huic urbi admoveret. Turcæ contra Principis mentem faciliè odorati ripas Savi fluminis, per quas nostros Belgradum profecturos suspicabantur, magnis copiis obsederunt, multisque munimentis, ut trajectum impedirent, aut certè difficiliorem redderent, cinxerunt, ac omnes præterà naves suas in hoc flumen impulerunt. Fefellit tamen Barbarorum laborem & solitudinem Principis excogitatum stratagema, qui præmissò cum Exercitûs parte Mercio, decima die Junii cum universis copiis Sigethum (ignobile est Temesiam inter & Begham flumina oppidum) contendit, indèque Panczovam delatus tres jam naves bellicas, quæ per parvum Danubii ramum, Donaviczam dictum, quò Tibiscus, Temesia & Begha fluvii inter se connectuntur, latenter ingressæ Turcarum perspicaciam eluserant, ad trajectum

1718.

Memorabilis  
eventus in dis-  
cessu Princi-  
pis Eugenii.

Driesch. in  
Hist. Mag. Le-  
gat. lib. 1. pag.  
76.

Celeberrimus  
Danubii tra-  
jectus.

1718. paratas ibidem invenit. In has dena peditum signa, & quatuordecim pyrobolariorum centuriæ receptæ viam celeberrimo ausui aperuerunt; Turcæ siquidem, qui se in Savi custodia delusos iniquissimè ferebant, densis agminibus ad hunc locum convolaverant, & sexaginta suorum millibus ulteriorem ripam infederant. Verùm navibus in medium jam fluminis alveum delatis, cum bellica tormenta in omnia latè litora dominarentur, hoste propius succedere minimè auso, Mercius opportunitatem invenit, milites suos raptim in terram exponendi, eosque adversus subitarios Turcarum incursus tumultuariis operibus muniendi: quò conspectò Barbari præcipiti fugâ Belgradum se receperunt. Occupatâ in hunc modum hostili ripâ, remisisque pontonibus sequenti die totus Exercitus cum re tormentaria citra ullum dispendium trajecit.

Belgradum  
obsidione cin-  
gitur.

Cæsareorum  
castrorum di-  
spositio.

XX. Copiis transmissis Eugenius Princeps sex Legionibus, totâque pyrobolariorum manu comitatus Taurunum propius accessit, situm locandis castris idoneum exploraturus. Vix ille in conspectum urbis venerat, dum hostilia aliquot signa indè progressâ itineri ejus obstrepere cœperunt: verùm illis æquabili equitum igne repressis, & in momento disjectis Princeps propositum suum perfecit, ac postera die, id est decimâ nonâ Junii, totum Exercitum in conspectum Belgradi adduxit. Curis deinde ad castra metanda conversis amplissimum terræ spatium inter Savum & Danubium perpetuis vallibus, fossis & aggeribus est complexus. Receptus, propugnacula, castella & suggestus tam firmo opere excitavit, ut castra munitissimæ urbis speciem referrent. Flumen utrumque pontibus instravit, ut equiti pabulandi copia fieret, quam circumsitæ inter ambos fluvios planities latissimam lætissimamque offerebant. Navibus quoque bellicis ostia Tibisci, totumque Danubium ita frenavit, ut hosti nulla prorsus egrediendi, aut ingrediendi facultas relinqueretur. Adductis demum in suggestus centum & sexaginta muralibus tormentis urbem tanta contentione verberare cœpit, ut tellus contremisceret, & ingentia mœnium fragmenta per aëra volitarent.

Turcæ ponti-  
bus nostris in-  
sidiatur.

Farnian.  
Strad. de Belle  
Belg. Decad.  
2. lib. 6. pag.  
87.

Turcarum  
stratagemata  
succesiva fru-  
strata.

XXI. Præsidarius miles, qui animum in proposito defendendæ urbis adeò obstinaverat, ut defixis super mœnia rubeis vexillis indicaret, se nec terræ palmum sine sanguine cessurum, nec deditiois leges unquam accepturum, impatientissimè præprimis ferebat, se navalium pontium frænò arctè nimis constringi, atque hęc pactò spem omnem suppetiarum obtinendarum sibi eripi. Quamobrèm ut grave hoc & intolerabile lupatum abrumperet mira vafricie sequens commentus est stratagemata: naves incendiarias (qualibus olim Antverpienses ad Scaldim in Alexandrum Farnesium usi fuerant, cum ab eodem gravi obsidione premerentur) multa ad nocendum peste refertas fluitantibus anchoris emittunt, quæ statuto tempore flammam conciperent, atque nostros pontes in cineres redigerent: classem præterea omnem suam numeroso milite instructam adverso flumine agunt, ut Cæsareos milites ad propulsandum pontium periculum accursuros strenuè repellerent. Sed nequidquam; naves enim incen-

incendiariæ ventorum flatu aſtæ priùs ad litus rejectæ ſunt, quàm nocere poſſent, & a quibusdam noſtris militibus ſuccenſæ ante tempus conflagrârunt, non finè hoſtium ludibrio & gratiſſimo Cæſarei Exercitûs ſpectaculo. Hoc conatu frustrato claſſe ſua pontes noſtros aggrediuntur. Sed advolârunt continuo naves Cæſaræ, numero quidem hoſtili claſſi inferiores, aſt virtute pares, quas cum Turcæ primo impetu ſuperare non poſſent, expoſitis in litus copiis, quibus eas a tergo circumvenirent, ex inſidiis aggrediuntur. Verùm obſervatô noſtrorum periculô adfuit actutum cum aliquot turmis Tribunus Haubenius, qui acerrimo certamine hoſtes in navigia repulit, quo ſimul tempore Schwendimanius, Cæſareorum epibatarum Duſtor, claſſem hoſticam ita preſſit, ut poſt unam biremem pluresque liburnicas tormentorum vi confractas, mersasque, cæteras malè mulctatas in apertam fugam conjecerit, tantò majore noſtrorum applauſu, quòd pro caſtrorum, & urbis conſpectu hæc victoria parta fuerit.

1718.

Prælium navale exortus.

Penes noſtros victoria.

Turcæ urbem fortiffimè tenuerunt.

XXII. Licet autem Barbari hanc cladem acceperint, ac prætereà in variis excuſionibus malè mulctati cruentiffima sæpe ſtrage in urbem rejecti fuerint, minimè tamen animos deſponderunt, aut ignavius aliquid, timidiùsque egerunt, quòd ſcirent, Vezirium cum infinito propemodùm militum examine in eorum ſubſidium advolare: unde licet vigefimâ tertiâ Julii aquatica civitas ignariis pilis tam ſecundo ſucceſſu infeſtata fuiſſet, ut perpetuò unius noctis incendiò ferè tota in favillas & cineres abierit, ipſeque ſaxeus receptus, portæ prætenſus conciderit, Turcæ tamen tantâ pervaciâ omnes noſtrorum conatus eluſerunt, ut obſidio in alterum menſem protraheretur, quin ſpes aliqua expugnandæ urbis affulgeret. Res etiam in deterius vergere videbatur, quando ad Kalendas Auguſti Magnus Vezirius innumerabili ferè exercitu ſtipatus caſtra noſtra a tergo circumdedit, eaque firmiſſimis operibus ad præſidii formam cinxit, ita ut obſidentes obſiderentur. Prætereà irreperunt jam priùs in noſtros milites variæ ægritudines ac languores, qui occulta tabe per militaria corpora graſſantes plurimos quotidie abſumebant, legionesque noſtras magno perè attenuabant. Noluit itaque Vezirius e veſtigio manus conferere, ſed ſtatuit tantisper expectare, donec noſtri infirmitatibus exhausti, & obſidionalibus laboribus attriti facili negotiò opprimi poſſent. Lento itaque opere vias obſidionales ad loricam caſtrorum noſtrorum perduxit, ut jam nonniſi unius teli jactu ab eis diſtaret. Excitatis poſteà ſuggeſtibus e ſentenſis amplius tormentis in Chriſtianos fulminare cœpit, magna ſanè noſtrorum ſtrage, cum & vicinitatis & eminentium colliculorum beneficiò unumquemque ex ſubjectis caſtris ad necem deſtinare valeret: ut proinde crebriùs opus fuerit Prætorium in alia loca transferre, & effoſis cavernis in terræ viſceribus ſecuritatem quærere.

Vezirius in ſubſidium obſeſſis advolat.

Infirmitates in noſtro Exercitu.

Acriter infeſtantur noſtri.

XXIII. Dum ita noſtri a numeroſiſſimo hoſte obſeſſi urbem obſident, deprehenderunt, inſulam quandam, ad Danubioli oſtium ſitam, rebus ſuis valde incommodare. Hujus occupandæ provincia Mercio Tribuno defertur, qui aſſumpta ſecum pyrobolariorum manu

Inſulam ad Donavicam Cæſarei occupant.

1718. manu in triplicem munitionem investus eam acerrimo certamine superavit, Turcasque insulâ totâ ejectos magna clade ac trepidatione disperfit. Perculit insulæ jactura Barbarorum animos, qui tamen majori pavore consternati fuerunt, dum in ipso Assumptæ DEIPARÆ Virginis pervigilio ignivomus globus pulverariæ turri injectus tanto fragore armamentarium convulsit, ut totus orbis, suis cardinibus motus, ruere velle videretur, plus tribus hominum millibus occisis, multisque propugnaculis & ædificiis aut discerptis, aut in aëra abreptis. Pupugit acriter hoc funestum spectaculum Vezirii oculos, qui ne urbs se præsentē & otiosè spectante in manus Christianorum devolveretur, statuit decretoriô præliô ulterioribus obsessorum periculis occurrere. Jam Barbari scalas apparabant, ut vallorum fossas, quibus solum a nostris sejungebantur, superarent, sed Eugenius Princeps non satis tutum ratus, hostes in castris, quantumvis munitis opperiri, decrevit Turcarum conatus antevertere, & prælium, quod Barbari nostris inferre meditabantur, præoccupare.

Strages ab igniaria pila edita succensa pulveraria turri.

Ad prælium se Turcæ passant, sed præoccupantur a nostris.

Prælium in Turcas decretur.

De continuanda infestatione præsidii consilium.

Initium prælii.

Dextera nostri Exercitus ala male a Turcis excipitur.

Donat

Donat

XXIV. Illuxerat dies, Festo Assumptæ in cœlum Angelorum Reginae consecratus, quo ad vesperam declinante, pugna, quam miles jam penè convitiô deposcebat, in sequentem diem unanimi Tribunorum consensu & militum gaudiô decernitur. Sub prima noctis vigilia acies ordinantur in hostem erupturæ. Camusio continuandæ obsidionis negotium injungitur, eique in mandatis datur, urbem acrius, quàm unquam aliàs muralibus tormentis & omni armorum strepitu infestare, ut sub continuo fumo, e pyriis pulveribus latius sparso, obsessi nec viderent, neque audirent, quæ foris agerentur, & sic eruptionem tentare non cogitarent. Alia pars exercitûs castrorum custodiæ deputatur, reliquæ verò Legionibus, quæ universim ex quinquaginta quinque equitum, peditumque cohortibus, totidémque pyrobolariorum centuriis constabant, jubentur sub secunda noctis vigilia silente agmine castris excedere, quorum valla ad hunc finem in duobus jam locis solo æquata fuerant. Rebûs in hunc modum constitutis miles post mediam noctem in hostem movet. Initium pugnae dextra ala fecit, quæ Duce Palfio Tribuno cum equitibus in tumulum enitebatur, ubi prima hostilium tormentorum sedes erat. Malè militibus nostris conatus iste cessit; subortis enim repentè densissimis nebulis, quæ nostris conspectum hostis eripuerunt, equestris turma maturius, quàm oportuisset, in Turcarum opera, ea primùm nocte ab hostibus ad Savi ripas excitata, & propterea Cæsareis incomperta investi sunt, ac intempestivô hóc factô occasionem dederunt, ut Barbari correptis subito armis occurrerent nostris, atque Stharenbergium Comitem cum dextra peditatûs ala appropinquantem exitiali globorum grandine tantum non obruerent, Janissaris ultra morem fortissimè dimicantibus, sive quòd fossis suis egregiè tegerentur, sive quòd ea die de totius Imperio Hungariæ rem agi scirent. Nostri ex adverso iniquissimam pugnandirationem sustinebant, quibus cum tali hoste dimicandum erat, quem audire quidem poterant, non item videre. Evanescentibus autem



autem sensim nebulis Palsius cum equitatu supervenit, qui impulsos Barbaros statione dejecit, eosque, licet tertia etiam vice ordines restituerint, in castra repulit.

1718.

XXV. Sinistra nostri Exercitus ala nihil indulgentiorem fortunam habuit; iisdem siquidem nebulis involuta penè in perniciem ibat, quod peditatus aeris caligine excæcatus longè ab equitatu discesserit: iste verò in medios hostium cuneos illatus eorum etiam furorem perferre debuerit, qui a dextra ala pulsi huc ad commune periculum propulsandum convolaverant. Actum fortassis ea die de nostris fuisset, nisi Dux Württembergicus conspecto equitatus discrimine cum suis cohortibus celeriter accurrisset, & currulibus tormentis in hostem conversis dubiam victoriam Christianis asseruisset. Pulsis itaque etiam ex hoc loco Barbaris, & universis tormentorum suggestibus occupatis ala utraque junctis viribus hostilia castra adorta est, quæ validissimis operibus & majori tormentorum parte munita Turcis spem aliquam salutis fecerant: sed immixtus peditatus uno impetu valla transcendit, Cæsareaque signa mediis hostium castris intulit, quibus visis animus & consilium Barbaros destituerunt, nec aliud superesse rati, post pertinacissimam quinque horarum pugnam in effusam se fugam converterunt, relicta Christianis celeberrimam victoriam, quæ prorsus ea die parta fuit, qua in nostra Viennensi Ecclesia quadraginta horarum preces pro secundo Christianorum armorum successu devotissimè celebrabantur: nec dubitare licet, plus piorum orationes quam militum fortitudinem ad hanc victoriam contulisse, quæ si propius inspiciatur, meritò cœlitus data, ipsis etiam fatentibus militibus, censeri debet.

Alæ finitimum discrimen.

Victoria Christianis cedit.

Dum Viennam apud nostros preces sunt 40. horarum.

XXVI. Hostibus profligatis expediti sunt velitum manipuli, qui fugientium terga premerent, & cunctantes, aut resitantes promiscua cæde trucidarent. Barbari autem castris exuti incredibili celeritate Nissam properarunt, atque hac festinatione cervices suas victoris militis ensi subdlexerunt. Cæsa tamen sunt ea die viginti quinque Turcarum millia, ut plurimum Janissari. Jactura nostrorum pro victoriæ magnitudine vix memorari meretur, desideratis (ut auctor testatur, qui vitam Eugenii Principis Latino sermone conscripsit) non amplius mille octingentis & quinquaginta, ter mille quadringentis & septuaginta quinque vulneratis, quem tamen numerum alii nonnihil augent, & cæsarum æquè ac fauciatorum multitudinem ad septem millia attollunt. Quidquid autem sit de hac re, de qua nihil certi constat, istud pro comperto affirmari potest, prædam ab hostibus relictam fuisse multò locupletissimam, quæ omnem Victorum expectationem superavit; in castris siquidem Turcarum reperta sunt ultra centum & triginta ænea tormenta, ollæ igniarie, quas mortaria nominant, septem & triginta, cadi pulveris nitrati sexcenti, missilium pilarum tria millia, camelorum, boum, aliorumque pecorum incredibilis numerus, signa demum novem & quinquaginta, novem equorum caudæ, totum Tabularium bellicum cum immensa multitudine tentoriorum, pecuniarum, aliarumque manubiarum. Omnia hæc præmia

Hostium fuga

Cæsarum numerus.

Prædæ magnitudo.

Aaaaaaa

fue-

1718. fuerunt difficillimi certaminis, in quo quinquaginta quinque duntaxat nostrorum millia adversus ducenta Barbarorum millia dimicârunt.

Belgradenses tractant de urbe dedenda.

XXVII. Obsessi interea, quibus nebulârum densitas, tormentorum fragor & fumus non concefferat prius aliquid pugnae, quàm cladis audire, postquam discussis nubibus adulta die suorum fugam observâssent, locaque a Turcis pridie infessa, hodie deserta, aut Christianis referta conspexissent, animo consternati spem omnem praesidii diutius defendendi abjecerunt: altera itaque statim a commissa pugna die explicatis super murum candidis vexillis indicârunt, sibi propositum esse de urbe dedenda pacisci: verum quòd condiciones proponerent insolentiores, quàm victos decerent, remisissis utrinque obsidibus iussit Princeps ignium procellas geminare, ut Barbari majoribus damnis attriti saniora consilia admitterent. Nec sefellit spes; postera namque die rursus adfuerunt ex urbe Legati, qui post varias disceptationes & tergiversationes, metu tandem redintegrandae igniarum pestis condiciones pro arbitrio Victoris acceperunt, easdem nimirum, quas anno superiore Temesvariensibus concessas fuisse diximus, quibus cavebatur, ut Turcae apparatus omnem navalem & tormentarium Caesareis relinquerent, ipsi verò cum omnibus suis facultatibus salvi & indemnes abire sinerentur; cui petitioni Princeps haud gravatè annuit, optimè gnarus verum esse, quod magnus ille Imperator apud Famianum Stradam dicere solebat: *Parùm referre, quam splendè induiti, modò arcibus exuti abirent hostes.* Conditionibus probatis Caesarei urbicas portas occupârunt, e quibus post biduum ultra triginta Barbarorum millia egressa fuerunt, dimissis in praesidio sexcentis sexaginta quinque tormentis, nonaginta ollis igniarum, magnaque pyriorum pulverum copia, sed propè nullâ annonâ: Excesserunt autem urbe vigesima secunda Augusti, iisque digressis paulò post Belgradum adivit P. Redemptor, qui hactenus toto ferè obsidionis tempore Petri-Varadini substiterat, intellecta verò urbis expugnatione properè Belgradum contenderat, ut captivorum Redemptioni e propinquo invigilaret; sed cum omnia armis perstreperent, Turcae quoque metu ac diffidentia torperent, nihil effici potuit, coactusque fuit P. Redemptor post paucos dies Vienneam repetere, suaque consilia in aliud commodius tempus differre.

Famian. Strada Decad. 2. lib. 10. pag. 777.

29. Augusti excedunt urbe.

P. Redemptor urbem ingreditur.

Belgradi casum variae urbes sequuntur. Semendria. Orsova.

Sabaculum.

XXVIII. Belgradò victoricibus armis assertò tota Servia & Bosnia contremuere. Prima Semendria, vetus Serviae caput & Episcopali Sede nobilis civitas, Christianorum Exercitui portas aperuit. Orsova munitum admodum in Serviae ac Valachiae confiniis oppidum, & vel ipsius Principis Eugenii iudicio non aliter, quàm acri obsidione capiendum, solo adventantium Caesareorum rumore territum nostris cessit, incolis omnibus fugâ elapsis, & relicta victoribus re tormentaria simul & annonaria. Sabaculum egregium caeteroquin praesidium, & diuturna olim obsidione a Matthia Corvino Hungariae Rege fatigatum, Turcis in tutiora Serviae ac Bosniae loca se recipientibus, Caesareorum accepit pra-

præsidium. Parakinum, Zenobicza, Jagodina, aliæque minoris nominis civitates ultroneam deditionem fecerunt. Mehadia in Valachia, quam priore anno Cæsarei muniverant, eandemque rursus, a Seraskierio, obsessi, amiserant, ab hostibus rursus deserta, eademque operâ toti Temesvariensi Provinciæ pax & securitas asserta fuit: ut nihil jam loquar de aliis Bosniæ & Croatiæ locis eadem facilitate a Cæsareis in deditionem receptis.

1718.

Parakinum.  
Zenobicza.  
Jagodina.  
Mehadia.

XXIX. Perpetuum hunc victoriarum cursum stitit aliquantulum Tartarorum in Transilvaniam irruptio, qui coacto quindécim millium examine rapidi torrentis instar se in Transilvaniam effuderunt, obvia loca incendiis, cædibus, omnique crudelitatis genere fœdaverunt. Equidem illi hac ferocissima incursione sua istud agebant, ut Cæsareos, quos in Belgradi obsidione etiamnum occupatos suspicabantur, indè avocarent, aut certè vires eorum distraherent. Sed intellecto Belgradi casu & de Christianorum adventu edocti receptui cecinerunt, atque in diversa agmina divisi, alii per Marmorosensem regionem evaserunt, alii verò in Szattmariensi agro grassantes a Cæsareis deprehensi tanta clade attriti fuerunt, ut cæsis quatuor signis cæterisque dissipatis octo hominum millia, quæ catenis vincita secum in servitum abriperere cogitaverant, patriam & libertatem recuperaverint. Reperti sunt ea occasione Christianorum infantes chordis ligati, & sub carris Tartarorum fame enecti, quos immanes illæ belluæ in Tartariam abriperere constituerant, sed ob repentinum Cæsareorum adventum a suo proposito exciderant. Cæteri porrò prædonum manipuli, qui ex hac colluvie supererant, ita ubique mulctati sunt, ut pluribus eorum millibus trucidatis reliqui in lucro habuerint incolumi vitâ Transilvaniâ excedere, quamvis ne istud quidem finè multorum Christianorum captivitate successerit.

Tartari Transilvaniam invadunt.

Cæduntur.

Infantes Christianorum fame enecti.

XXX. Nunciò hujus rei Viennam delatò die decima quinta Decembris annò millesimò septingentesimò decimò septimò ex Archi-Episcopali Curia Litteræ ad omnes Ecclesias emanarunt, quibus injungebatur Divini verbi præconibus, ut sequenti Dominicâ populo exponerent, ingentem captivorum Christianorum multitudinem Constantinopolî, atque in aliis Turcici Imperii urbibus, gravissima servitute pressam attineri, fervidòque sermone universos adhortentur, ut quisque pro facultatum suarum conditione captivis fratribus suis auxiliatricem manum vellet porrigere, & collatis symbolis eorundem liberationi consulere. Vellicavit hoc Viennensis Archi-Episcopi Decretum P. Redemptoris animi, qui indefessis curis aliunde miserorum Redemptioni captivorum semper prospiciebat, eisque pro viribus opem ferre desiderabat. Ast quidquid ille moliretur, aditum tamen fervente hoc bello ad infidelium terras reperire haud potuit, nec consultum videbatur ad tantum negotium peragendum vicariâ aliorum operâ uti, nisi Redemptionis facultates tot curis & laboribus congregatas absque ullo captivorum emolumento præsentissimo discrimini exponere voluisset; quivis enim negotia sua propriis melius, quam alienis manibus expedire solet. Statuit itaque Viennæ etiamnum

Archi-Episcopus Viennensis de redimendis captivis curam suscipit,

P. Redemptor expeditionem in commodius tempus differt.

1718. tantisper residere, donec melior, tutiorque occasio in Thraciam proficiscendi affulgeret; cum enim ob attritas vires Ottomannici Imperii nemo non speraret pacem inter dissidentes Potentias proximè coalituram, maluit Pater Redemptionem in securius tempus differre, ut pluribus prodesset, quàm præcipiti festinatione Redemptionis opes ancipitis fortunæ aleæ committere.

Turcæ pacis  
consilia susci-  
piunt.

Famian. Strada  
de Desad. 1.  
lib. 1. pag. 15.

Aliud bellum  
ab Occidente  
emergit.

Princeps Eu-  
genius minis  
pacem urget.

Litteræ cre-  
dentiales li-  
mitatæ repu-  
diantur.

XXXI. Hæc spes securitatis pacis, quâ se P. Redemptor lætaverat, minimè vana fuit; Sultanus enim tot cladibus fractus proniores jam cœpit aures adhibere Britannorum Batavorumque, pacis oden identidem occinentium, consiliis. Scilicet ex collis, fractisque nubibus serenitas prodit, & ut Famianus, crebrius jam mihi laudatus Scriptor, ait: *Spes nunquam major affulget pacis, quàm quum seridè bellum geritur, satiata nimirum aut fessâ per cædes irâ.* Certè pronius in gratiam redeunt, qui armorum damna utrinque senserunt. Quamvis autem Augustissimus Imperator CAROLUS secundissimâ hactenus fortunâ bellum gessisset, a pacis tamen consiliis ne ipse quidem abhorrebat, non solum ob immensos sumptus, quos Turcici belli magnitudo requirit, verum etiam ob impendentem ab Occidente procellam, quæ in magnam Reipublicæ Christianæ perniciem excitata firmam cum Porta Ottomannica, stabilemque pacem dubiis bellorum vicissitudinibus præferre suadebat. Supererat proinde duntaxat, ut Veneti in eandem pacis communionem admitterentur, quod, sicut Cæsar, qui eorum causâ Turcis bellum indixerat, constanter urgebat, ita Barbari non sinè convitiis in Rempublicam jactis præfractè abnuebant. Sed cum inter has dissensiones Princeps Eugenius annò hujus Sæculi decimò octavò Belgradum appulisset, stratisque super Danubium & Moravam flumina pontibus haud obscurè innuisset, sibi propositum esse cum infesto exercitu Nissam petere & Mahometanos totâ Serviâ exturbare, nisi pacis tractatus quantocyùs conficerentur, Turcæ tandem supercilia posuerunt, veritique victoriosi Exercitûs progressus, Venetos ad pangendæ pacis consortium receperunt; Barbari siquidem plùs terroribus quàm rationibus aguntur, quos etiam Tulliana facundia nunquam movebit, nisi armata manus orationi strictò ferrò vigorem adjiciat.

XXXII. Rebûs in hunc modum complanatis Passaroviczium (ignobile est Serviæ oppidum haud procul Semendriâ trans Moravam flumen situm) dissidentium Potentiarum Legati conveniunt. Cæsarei cum Veneto Legato Passaroviczii sedem fixerunt, Turcæ infra illud oppidum, ab utroque demum latere hinc Suttonus Britannia illinc verò Cholierius Hollandiæ Oratores subtentoriis agebant. Magnæ statim ab initio congressûs abortæ sunt difficultates, quæ pacis consilia suffocaturæ videbantur; nam præterquam quod Cæsarei Turcicorum Oratorum litteras tanquam nimis limitatas repudiaverint, neque priùs in Tractatus cum Turcis descendere decreverint, donec illi novis litteris Adriano-poli allatis, majori potestate paciscendi, permutandi & cedendi instructi fuissent, novas etiam remoras objiciebat, quòd Turcæ mordicus evincere vellent, ut pacis articuli juxta leges possessionis decide-

deciderentur, ut nimirum cuique maneret, quod tunc possidebat: 1718.  
 Cæsarei verò præter Peloponesum, quam Venetis assertum ibant, Ut possideris.  
 suas quoque prætensiones ad integra Regna extenderent, quarum  
 partem jam occupaverant. Sed cum Barbari tam duras pacis con- Induciæ ad  
 ditiones abnuerent, re per celeres nuncios cum Principe Eugenio 24. annos.  
 communicata induciæ tandem viginti quatuor annorum hoc te- Articuli.  
 nore sancitæ fuerunt, ut Cæsari cederet Temesiensis Provincia  
 cum sua Metropoli. Belgradum cum terris ad hanc urbem per-  
 tinentibus, quæ majorem, melioremque Servia partem consti-  
 tuunt. Valachia portio ad Alutam fluvium, & tractus Bosniae  
 Savo vicinus cum castellis & munimentis ejus ripæ omnibus, pars  
 itidem Croatiae ad Unnam fluvium. Peloponesus in Turcarum  
 potestate maneret, ejusque locò Veneti Cytheram Insulam acci-  
 perent, illorumque fines in Dalmatia nonnihil auferentur. His  
 adjuncti sunt alii articuli de securitate Christianorum, Romano-  
 Catholicorum in Turcarum ditibus degentium, de immunitate  
 sacrorum locorum, aliique complures, e quibus ad hoc nostrum  
 propositum solum pertinet articulus duodecimus, quem, quia in  
 eo de captivorum Redemptione agitur, de verbo ad verbum huic  
 operi inserere volui. Ecce illum: *Publici captivi antecedentis &*  
*presentis belli tempore ex utraque parte in captivitatem abacti, & in*  
*publicis carceribus detenti, consideratione istius Almae Pacis liberationem*  
*sperant, nec possint diutius sine lesione Imperatoriae Clementiae, & lauda-*  
*ta consuetudinis ac Generositatis in eadem captivitatis miseria & cala-*  
*mitate relinqui, sed modò ab antiquo consuetò cuncti captivi a die hujus*  
*Tractatus Pacis ab utraque parte intra dies unum & triginta in liber-*  
*tatem afferantur; peculiariter cum in partibus Transilvaniae captivita-*  
*te detentus Nicolaus Scarlatti Vajvoda, ac filii & ejusdem domestici con-*  
*tra Liberos Barones de Petrasch & Stein cum penes eos Constantinopolim in*  
*Septem Turribus existentibus hominibus permutandi sint, quare & ii a*  
*data hujusce Pacis Tractatus intra dies unum & triginta in confinibus*  
*Valachiae invicem permutentur, & eliberentur. Cæteris verò, qui in*  
*privatorum potestate, vel apud ipsos Tartaros sunt, licitum sit, libera-*  
*tionem suam honestò, & quam fieri poterit, mediocrè lyro procurare;*  
*quod si cum captivi domino honesta conventio fieri non poterit, Judices*  
*locorum litem omnem per compositionem dirimant, sin autem prædictis viis*  
*id etiam confici baud possit, captivi pretiis eorum, sive per testimonia, sive*  
*per juramenta probatis, atque solutis eliberentur, nec possint domini avidita-*  
*te majoris lucri sese redemptioni eorundem opponere: & quandoquidem a*  
*parte Imperii Ottomannici homines non emitterentur, qui taliter eliberandis*  
*captivis operam adhibeant, spectabit ad probitatem Cæsareorum Præse-*  
*torum, ut ad dimittendos Ottomanos captivos, quò empti sunt pretiò sin-*  
*cerè comprobato, dominos illorum adstringant, atque ita Sanctum hoc Opus*  
*pari utrinque pietate promoveatur; donec demum captivi utrinque præ-*  
*dicta ratione liberentur, Legati Plenipotentarii ex utraque parte officia*  
*sua adhibeant, ut interea miseri captivi benignè tractentur. Hæc ex*  
*utriusque Imperii consensu de redemptione captivorum sancita*  
*fuerunt: Cæterum ut mancipia benignè tractentur, non solum*  
*ipsis mancipiis commodat, sed etiam eorum dominis, nam si*

1718. vegetus & robustus captivus conservetur, majus pretium dominus pro illo sperare potest, quàm si macie & laboribus consumptus sit.

XXXIII. Porro præter has pacis Tabulas confectus est etiam alter pro bono publico (studiò & industriâ Fleischmani, viri rerum agendarum usu & experientiâ commendatissimi) Commercialium Tractatus Redemptioni captivorum valde proficuus, qui in viginti articulis descriptus de securitate ultro citroque commentantium agit. Hunc Augustissimus Imperator CAROLUS decimâ sextâ Augusti annò hujus Sæculi decimò octavò pro se & Successoribus suis subscripsit, & ratum habuit, qui, ut insinuavi, Captivorum Redemptioni multum commodat, magnamque Austriacis Provinciis utilitatem præstat; aurum enim & argentum, quod ad exterâs & infidelium regiones pro redimendis captivis exportari consueverat, beneficiò hujus Tractatûs nunc in patria manet; Institores enim Orientalis Societatis, sive illi Constantinopolî, sive Trapezunti, sive in Tartaria degant, merces Viennâ petunt, quas P. Redemptor pro illis persolvit: ipse verò, quando redimendorum captivorum causâ Byzantium adit, expensam Viennæ pecuniam ibi ab iisdem Mercatoribus in currente Regionis cujusvis moneta cum fœnore recipit, simulque sexcenta pericula Redemptionis pecunias in itineribus, aut aliis occasionibus amittendi efugit, quibus alioquin ob latrunculorum furumque infidias obnoxius fuisset, si eam secum in Turcarum ditiones asportare debuisset: ut proinde nonnullis Politicis omnis nunc quiritandi ratio sit sublata, qui prius nostrum Institutum nunquam insectari desinebant, quòd dicerent, Redemptionis occasione nummos, unicum scilicet belli nervum, ad hostes deferri.

Commerciorum Tractatus Redemptioni valde utilis.

Satisfactum Politicorum querimoniis.

## C A P U T XIV.

### *Agriensis Fundatio Cæsareo-Regio Diplomate confirmatur.*

Devictis hostibus Pax restituit.

I. **P**ost restitutam Cæsareis armis in Oriente Pacem, temporum tranquillitate Felicitas quoque Regni Hungariæ cœpit reflorescere. Multa hucusque futurorum metu dilata jacuerunt, insciis nimirum hominibus, an suas ædes diutius essent inhabitaturi, an verò, ut sunt varii bellorum eventus, ob fortuitam quamdam Christiani Exercitus cladem aliis in terris novæ circumspiciendæ sedes forent. At benevertit DEUS omnia; quies reddita & stabilita magis quàm prius erat: ampliata quoque fuerunt Regni confinia; nam præter bina Temesiæ & Belgradi validissima Præsidia alia plura minora munimenta cum ingenti circumjacentium terrarum tractu nostris accesserunt, ut superius insinuavimus, atque hęc pactò enervata est hostium superbia, & Barbarorum ferocia detumuit.

Pro Agriensi Fundatione Regius consensus petitur & obtinetur.

II. Erdœdus igitur Præsul de promovendis nostri Agriensis Cœnobii initiis sollicitus omnem operam impendit, ut suis, aliorumque desideriis satis quantocyus faceret. Hęc imprimis remo-

remorabatur nondum obtentus Regis Apostolici consensus, ad quem proinde impetrandum per litteras egit apud Supremum Hungarici Regni Tribunal ( Cancellariam vocant ) ut piæ causæ patrociniū in se susciperet. Monuit præterea P. Martinum ab Ascensione Commissarium Generalem, ut supplici libello apud Cæsarem, Religionis amantem, instaret ad Benignum assensum consequendum. Obsecutus Pater Cæsari libellum obtulit, qui pro more ad Regni Hungariæ Consultores remissus fuit. Ad celeriorē hujus negotii expeditionem magnum momentum attulit Episcopus Nitriensis, Germanus Frater nostri Fundatoris Agriensis, qui absentis eo tempore Cancellarii vices administrabat; is enim petitione nostra in Consilio proposita facundè disseruit de amplitudine Episcopatus Agriensis, qui ob latè diffusos terminos suos plures requireret operarios spirituales: Patres autem Trinitarios Excalceatos anno superiore Agriam inductos Verbi DEI prædicatione, flagrantissimò zelò ægrotis & moribundis assistendo, eosque ad felicem mortem comparando, morum denique innocentiam, inculpatae vitæ conversatione, ac doctrinæ præstantiam uberes fructus in illa jam urbe produxisse, ac spem esse minimè dubiam, eos etiam uberiores producturos, si ibidem magis stabilirentur: commendavit deinde nostros a singulari diligentiam, quâ Redemptionem captivorum, laudabile sui Ordinis Institutum, hætenus excolere studuissent; addidit præterea eos nuper in publicis Comitibus inter cives Regni & membra meruisse admitti, atque adeo ex plurimis titulis dignos esse, quibus ampliores præstentur gratiæ. Item Agriensem Præsulem nihil perinde in votis habere, ac dictos Religiosos in sua urbe stabilitos videre, eumque pro ædificando Cœnobio sumptus promississe, ac quosdam proventus cum Sanctissimæ TRINITATIS ædícula suffragante Clero, populoque jam eisdem contulisse: nunc verò Regis Apostolici consensum ad eorum perpetuum stabilimentum postulari, ut ex supplici Ordinis ad Cæsarem libello latius videri posset. His auditis nemo reperi- tus est, qui nostræ petitioni adversaretur, quinimò omnes unanimi consensu eidem sunt suffragati. Confectæ proinde fuerunt Regii Assensûs Tabulæ, quas supralaudatus Episcopus Nitriensis Cæsareæ Majestati subscribendas obtulit. Nec multû opus erat, ut Benignissimus & Ordini nostro addictissimus Princeps ad hanc nobis gratiam præstandam induceretur. Nihil itaque cunctatus Diplomati nomen suum adjecit, illudque Regiò Sigillò suò muniri jussit, eâ prorsus formâ, quam nunc subjicimus:

*NOS CAROLUS VI. DEI GRATIA ELECTUS Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germania, Hispaniarum, Hungaria, Bohemia, Dalmatiæ, Croatia, Sclavoniæ, &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantia, Styria, Carinthia, Carnioliæ, Luxenburgi, Württembergæ & Teka, Superioris & Inferioris Silesiæ, Princeps Sueviæ, Marchio Moraviæ, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretæ, Kyburgi, & Goritiæ &c. Memoria*

Bbbbbbbb 2

Diploma confirmationis.

com-

1718. *commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, Universis. Quod pro parte Fidelium Nostrorum Religiosorum Sacri Ordinis Discalceatorum Sanctissima TRINITATIS Redemptionis captivorum mediò Religiosi Fr. Martini ab Ascensione per Hereditarias Ditiones & Provincias Nostras Caesareo-Regias actualis Commissarii Generalis exhibitae sint Nobis, & presentatae quadam Litera Fidelium Nostrorum Honorabilium Capituli Cathedralis Ecclesiae Agriensis Fundationales in simplici papyro confecta, ejusdemque Capituli Sigillò authenticò impressivè communita sub dato trigesimâ primâ mensis Maji annò proximò prateritò millesimò septingentesimò decimò septimò emanata, quibus mediantibus Fidelis pariter Noster Nobis Dilectus Reverendus, Spectabilisque ac Magnificus Comes Gabriel Antonius Erdædy de Monyorókerek, Montis Claudii, & Comitatus Varasdinensis Perpetuus, Episcopus Agriensis, Comitatum Heves, & Exterioris Szolnok Perpetuus Supremus Comes, Abbas S. Georgii Militis & Martyris de Jaak, & Consiliarius Noster Eundem Sacrum Ordinem de Redemptione captivorum diversis, iisque piis, ac salutaribus de causis & motivis in Civitatem suam Episcopalem Agriensem per modum Fundationis inducere, ac implantare, ac insuper iisdem Religiosis Capellam Sanctissima TRINITATIS per defunctum Stephanum quondam Telekessy Episcopum pariter Agriensem, antelati verò Fundatoris immediatum Praedecessorem extrui curatam, ac ante Portam Hattvaniensem sic dictam, situatam una cum proventu Fundationali ad eandem Capellam pertinente, ac pecuniâ per praesatum Episcopum quondam Stephanum Telekessy apud Libera Regiaeque Civitatis Nostrae Debreczinensis civis investitâ & elocatâ, juxta seriem & methodum in antelatis Literis Capitularibus expressatam subdivisâ, & distributâ pleno Jure cedere atque donare, & superinde prelibatum Sacrum Ordinem, ejusdemque Religiosos Ordinaria sua, & Episcopali Authoritate, accedente etiam ejusdem Capituli voto & Consilio confirmare, atque stabilire decrevisse; Ac praeterea mentionatum Capitulum, cujus nempe Curatela & administrationi praespecificata Fundationalis pecunia concredita fuisset, futuris quoque temporibus, non modò ejusdem Summae pecuniariae diligentem curam sese habiturum, verum etiam centum quinquaginta & unum florenos praedicti Sacri Ordinis Trinitariorum Residentiae Agriensis Superiori omnî annò, idque a die prima mensis Junii anni praescripti millesimi septingentesimi decimi septimi incipiendo & computando, absque omni defectu*

*extra-*



extradaturum, depositurumque appromississe, & spondidisse dignoscatur Tenoris infrascripti. Supplicatum itaque exitit Majestati Nostræ nomine & in persona præfati Religiosi Martini ab Ascensione debita cum instantia humillimè, quatenus Nos præactas Literas Capitulares super antememorati Comitis & Episcopi Gabrielis Antonii Erdædii Fundatione Testimoniales & Assecutorias modò præviò confectas & emanatas, omniæque & singula in iisdem contenta ratas, gratas & acceptas habentes Literisque Nostris Privilegialibus inseri & inscribi facientes Apostolica Regia Authoritate Nostra acceptare, approbare, roborare, ratificare, & pro antelatis Sacri Ordinis Sanctissima TRINITATIS de Redemptione captivorum Religiosis in præfata Civitate Agriensi modalitate præmissa fundatis, & consequenter pro toto Eorundem Ordine in perpetuum valituras gratiosè confirmare, ac Benignum etiam Regium super indè Consensum Nostrum præbere dignaremur. Quarum quidem Literarum Capitularium super insinuata Fundatione Episcopali emanatarum continentia sequuntur in hunc modum: Nos Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Agriensis damus pro memoria tenore presentium significantes, quibus convenit, Universis. Quòd quandoquidem Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Comes Gabriel Antonius Erdædy de Monyókerék, DEI & Apostolica Sedis Gratiâ Episcopus Agriensis (Titulus cum pleno dignitatis honore) Dominus & Prelatus noster Gratosissimus Sacrum Ordinem Discalceatorum sacrosanctæ TRINITATIS de Redemptione captivorum diversis, piis, ac sanctissimis de causis, nobiscum communicatis, præsertim verò exemplaris eorundem vitæ, magnæ probitatis, zeli, ac doctrinæ, nec non singularis Instituti intuitu, cujus sicut exercendi in Apostolico hocce, barbarisque ditioribus conterminante Regno campum haberent amplissimum, ita etiam maxima exinde Patriæ utilitas, atque non modicum incolarum solatium provideretur, huc Agriam inducere, atque implantare firmiter in animo decrevisset, quin & insuper die trigesima currentis mensis Maji annò millesimò septingentesimò decimò septimò eidem Sacro Ordini pro permansione, usu, & commodo inhabitantium Religiosorum Capellam Sanctissimæ TRINITATIS a pia memoriæ Episcopo Stephano Telekessy Prelato nostro Desideratissimo extrui curatam, & ante Portam, ut vulgò dicitur, Hattvaniensem sitam, habitam, unà & proventum Fundationis ad dictam Capellam pertinentis, ac ab eodem pia recordationis Antistite, apud Providos civos Debreczinenses investita, atque elocata, videlicet

Inferm Fundationis Literæ.

1718. *duodecim annuis concionibus, per unum ex praattacto Sacro Ordine, quâlibet secundâ Dominicâ mensis ibidem, dum Processio ex Cathedrali, simul & Parochiali Ecclesia exit, habendis, florenos Rhenenses quinquaginta; pro Sacris omni septimanâ uno, ad mentem & intentionem piè defuncti Domini Episcopi inibi celebrandis florenos triginta sex, sed & praterèa florenos Rhenenses quinquaginta pro sartis tectis praefata Capella, pro candelis itidem & vino ad Sacrificia Missae necessariis florenos Rhenenses decem, ac demum pro pulsu campanarum florenos Rhenenses quinque destinatos; in toto autem & summatim florenos centum & quinquaginta unum perpetuis futuris temporibus possidendos, & annuatim ritè persolvendos pleno Jure cedere, dare, donarèque, nec non superinde antelatum Sacrum Ordinem ejusdemque Religiosos, Ordinaria sua Episcopali Authoritate confirmare, atque stabilire, accedente nostro quoque unanimi voto & consilio, gratiosè resolvisset. Nos ea propter, quorum Curatela, perceptioni, atque erogationi praespecificata Fundationalis pecunia haetenus commissa fuerat, tam pium, ac salutarem Gratosissimi Praesulis Nostri conatum pro omni posse nostro secundare cupientes, antememorata pecuniae non modò futuris quoque temporibus diligentem curam nos habere, & gerere velle, verùm etiam, uti promissum extitit, centum & quinquaginta unius florenorum Rhenensium summam Reverendorum Patrum Trinitariorum Residentiae hujatis Superiori omnî annò, idque a die prima mensis Junii anni infrascripti & currentis defectu absque omni extradaturos, depositurosque appromiserimus, & sponderimus, prout promittimus, & spondemus presentium per vigorem. Excipiendo tamen, si per temporum injurias ab ipsa civitate Debreczinensi, vel ab alia, ad quam idem capitale elocari contingeret, censum nullatenus habere possemus. In quorum omnium majus fidei robur ac testimonium praesentes Literas nostras Sigilli nostri Authentici appensione roboratas, eidem Sacro Ordini (cujus specialem Protectionem in nos benevolè assumimus) Jurium suorum pro cautela dedimus. Agriae die trigesima prima mensis Maji annò Domini millesimò septingentesimò decimò septimò. (L.S.) Capitulum Agriense. Nos itaque pro solita Nostra in DEUM pietate, & solerti in iis, quae ad majorem Divini cultus promotionem, & Orthodoxae Romano-Catholicae Fidei propagationem, Religiosorumque Ordinum, quorum devotis ad DEUM fusis, & fundendis precibus ac suffragiis fausta & felicia Regiminis Nostri Gubernacula Nos habituros piè confidimus, incrementum conferre, aut quidpiam mome-*

momenti addere possint, magis magisque ampliandis, dilatandis, & stabiliendis, cura & solitudine, humillima etiam praecepti Religiosi Martini ab Ascensione supplicatione pro parte totius Sacri sui Ordinis, Nostrae, modò, quò suprafata Majestati Regiae Benignitate exaudita, Clementer & admissa, praememoratas supradicti Capituli Agriensis Literas, super saepius dicta Fundatione Episcopali, praevidò modò confectas, & emanatas, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, verùm omni prorsus vitiò & suspitione carentes praesentibusque Litteris Nostris Privilegialibus de verbo ad verbum sinè diminutione & augmento aliquali insertas & inscriptas, quò ad omnes earundem continentias, clausulas, conditiones & articulos ratas, gratas, & acceptas habentes, praedecarata Apostolica Regia Auctoritate Nostra acceptavimus, approbavimus, roboravimus, ratificavimus, ac pro saepesatis Religiosis Sacri Ordinis Sanctissimae TRINITATIS de Redemptione captivorum in annotata Civitate Agriensi praeferta modalitate fundatis, consequenterque toti eorundem Ordini in perpetuum valituras, gratiosè confirmavimus, ac Benignè etiam Regium superinde Consensum Nostrum praeuimus. Imò acceptamus, approbamus, roboramus, ratificamus, & ut pro iisdem Religiosis Patribus sufficiens pro Ecclesia & Conventu locus & aliis accessoriis spatium (casu, quò necdum aliquod excissum fuisset) excindi possit, superinde Benignum pariter Consensum Nostrum praebemus & Assensum. Salvo Jure alieno. Harum Nostrarum Secretò Sigillò Nostrò, quò ut Rex Hungariae utimur, impendenti communitarum vigore & Testimonio Literarum. Datum per manus Fidelis Nostrae Dilecti, Reverendi, Spectabilisque ac Magnifici Comitis Ladislai Adami Erdædy de Monyörökerék Montis Claudii & Comitatus Varasdinensis Perpetui, Episcopi Nitriensis, Locique & Comitatus ejusdem nominis Perpetui Supremi Comitis, Cancellariae Nostrae Regiae Aulicae Hungariae Primarii Assessoris & Consilarii Nostrae, in Civitate Nostra Vienna Austriae die quinta mensis Augusti, Anno Domini millesimo septingentesimo decimo octavo Regnorum Nostrorum Romani septimo, Hispaniarum decimo quinto, Hungariae verò Bohemiae & Reliquorum anno octavo.

**Carolus,**

**Ladislau Adamus Erdædy  
Episcopus Nitriensis.**

*Elias Wannechy.*

1718.

## CAPUT XV.

*Belgradi Cœnobium impetratur.*

Occasione statuendi Belgradi Conventum.

Difficultates oriuntur.

Alii duo Sacerdotes Belgradum mittantur.

**I. UT** primùm Pax cum Oriente coaluit, nostros desiderium incessit Belgradi Ordinis cœnobium statuendi. Accidit opportunè, ut P. Josephus a Jesu Maria, captivorum Redemptor, negotiis quibusdam compulsus sub idem planè tempus iter in Transilvaniam adornaret. Huic itaque proximè discessuro P. Martinus ab Ascensione Commissarius Generalis injunxit, ut instituto per Belgradum itinere locum aliquem pro Conventu ædificando postularet, quem in repartitione Præsidii facile impetraturus credebatur. Obtemperavit Pater suapte alioquin in Ordinis propagationem intentissimus, atque in hunc finem a Comite Stharenbergio emerito Belliduce commendatitias litteras obtinuit, quibus Comes Belgradi Præfectum obsecrabat, daret operam, ut Patres Trinitarii votorum suorum compotes efficerentur. His instructus P. Redemptor socium sibi adscivit fratrem Ildephonsum a S. Josepho, & Belgradum magna spe profectus litteras tradidit Odwirio. Equidem insigni benevolentia ab illo receptus fuerat, sed cum Pater negotium, cujus causâ venerat, inciperet urgere, & Turcicum quoddam fanum, Moscheas nominant, suo Ordini donari peteret, ubi Templum pro cultu Sanctissimæ TRINITATIS, & cœnobium pro Religiosorum habitatione ædificari posset, tergiversari cœpit Odwirius, prætexens id sibi integrum non esse, cui a Cæsare minimè possessio, sed solum defensio Præsidii commissa fuisset; addidit tamen, si Ordini in aliis rebus gratificari posset, se nulli labori aut industriæ parsurum. Quamvis autem Pater frequentius apud eum instaret, præter verba nihil retulit. Torfit res ista Patris animum, adeoque afflixit, ut ex tædio infructuosi laboris sui, & ex aëris, quem locus nondum satis a Turcarum immunditiis repurgatus corruperat, iniquitate unâ cum fratre socio ægritudinem contraxerit. Lectulo igitur affixus ad P. Octavianum Ordinis Minorum Capucinorum deferri voluit, & obtinuit; dictus namque Pater Octavianus ibidem æquè cum socio in precaria domo versabatur. Hic P. Redemptor scriptis Viennam litteris de toto rei statu Superiores edocuit, questusque febrium inclementiâ a suscepto in Transilvaniam itinere se retardari, petiit, ut duo Ordinis Sacerdotes Belgradum mitterentur, qui rem propositam instantius urgerent, se namque pluribus ex causis impediri a cœpto negotio ulterius promovendo.

**II.** Designantur igitur ad pertexendam hujus negotii telam P. Joannes a S. Agnete sub idem tempus Viennensis Cœnobii Vicarius, & P. Cœlestinus a S. Cunegunde, qui injunctum sibi munus alacriter susceperunt, firmiter persuasi, se Belgradi paratum jam aliquod domicilium reperturos; nondum enim quidpiam de sinistro hujus prætensionis successu inaudiverant, quod omnia celare consultum videretur. P. Joannes, ut Viennæ multorum favores & necessitudines sibi jam pridem demeruerat, ita

&amp;



Omen quale ferunt haec dona & ut Torcularum,  
 Sic natum o Virgo Crux onerosa premet.

1. Fanum Turcicum Belgradi in Ecclesiam hujus formae convertendum. 2. Beatissimae Virginis DEIPARAE imago in ara publice venerationi exposita. 3. Pars Monasterii Ordinis Excelsae, torum SSS. TRINITATIS Redemptionis Captivorum aedificata. 4. Pars reliqua in hanc formam aedificanda. 5. Viridarium Conventus. 6. Domus vicina RR: PP: Societatis IESU. 7. Montes vineis consiti, ad quos e nostro Conventu prospectus patet.

Delineavit Franciscus Willinghoffer Sac. Cas. Maj. Architectus Belgradensis.

Joseph et Andreas Schmuizer sc.



Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a title or description of the building above.

& multa pro usu & subsidio novi cœnobii Belgradensis ab amicis corrogaverat, ac demum rebûs omnibûs convasatis secundâ Augusti flumentano itinere Belgradum contendit; quò etiam decimâ sextâ dicti mensis, eadem nimirum die, quâ anno superiore Turcæ apud Taurunum ingenti clade profligati fuerunt, salvus & incolumis cum Patre socio pervenit. Huc delati primas statim curas suas ad quærendum P. Redemptorem converterunt, quem tandem apud P. Octavianum Capucinum cum fratre Ildephonso a febribus nonnihil jam sibi restitutos consalutavêre. Existimabant tunc illi, res suas jam esse in vado; sed postquàm intellexissent, socium P. Octaviani pridie tumulo illatum, de Domicilio verò Ordinis nostri nihil adhuc impetratum fuisse, tunc enim verò cohorrûere novi hospites, nec quò se verterent, habebant. Verùm cùm alius locus non suppeteret, necessitate coacti precariò apud P. Octavianum interim hærent, qui omnes quatuor nostros Religiosos ex eleemosynis, quas per diem colligere potuit, magna sanè charitate sustentavit. Nostri autem ne nihil agere viderentur, frequentius Odwirium cum aliis Ordinis nostri fautoribus adiverunt, & ab eodem aliquem locum sibi concedi flagitârunt, quem inhabitare possent. Sed Odwirius, quamvis mirificum erga Ordinem nostrum studium præferret, in assignatione tamen alicujus loci nihil magis resolvit, aut expedit, quam priùs & antea.

III. Has inter angustias fortuitò inciderunt in Fleischmannum, Cæsarei Residentis munere olim Constantinopolî perfunctum, nunc autem Bellicis Consiliis adlectum. Redierat ille sub hoc tempus Belgradum, postquàm in definiendis utriusque Imperii limitibus aliquamdiu occupatus fuisset. Huic nostri tanquam veteri amico sincerè afflictionem suam exposuerunt, & ab illo auxilium sive consilium postulârunt. Vir illustris, & eximius Ordinis nostri Fautor jubet eos bonum animum habere, pollicitus, se omnia in favorem nostrum tentaturum, quæcunque valeret. Nostri itaque comitatus e vestigio Odwirium accessit, rogavitque, ut Fanum Turcicum cum aliquot domibus Patribus Trinitariis pro construenda habitatione assignare dignaretur. Verum enim verò Odwirius veterem suam oden repetiit, dixitque, jus talia conferendi penès solum Cæsarem esse. Fleischmannus ex adverso jussit eum securum esse de Cæsare, promisitque se effecturum, ut Cæsarea Majestas nostris haud gravatè stabilem Belgradi sedem sit concessura, cujus rei vadimonium in se recepit; obsecravit proinde Odwirium, ut interea donec ipse Viennam esset profecturus, nostris precarium aliquod domicilium tribueret, se autem hanc gratiam, velut sibimet collatam, æstimaturum. Non ignorabat Odwirius quantam auctoritatem tum apud Aulam Viennensem, tum apud Bellicum Consilium Fleischmannus obtineret. Annuit igitur precibus ejus, concessitque, ut locum sibi exquirerent, sub hac tamen conditione, ut si nostros locò exturbari contingeret, nulla inde sibi posset causa, aut culpa imputari.

IV. Exinde nostri ad lustranda Turcica Fana conversi, dum

D d d d d d d

omnia

1718.

16. Augusti  
Belgradum  
veniunt.

Apud P. Octavianum  
Capucinum nostri  
divertunt.

Magnam  
charitatem apud  
eundem experiuntur.

Fleischmanni  
operâ locum  
obtincent.

Fanum Turcicum  
exquirunt & habitationem  
inveniunt.

1718. omnia sollicitis oculis explorant, in illa urbis parte, quae ob multitudinem Germanorum civium ibidem habitantium Germanica civitas dicitur, quoddam repperunt fanum in conspicuo & editiore loco situm, cujus quadratam structuram plumbeum tectum coronabat. Hoc dum illi undique inspiciunt, placuit confestim locus iste, quem & situs salubritas, & fani elegantia commendabat. Significaverunt itaque Odwirio, se fanum repperisse, cui acquiescerent: rogaverunt proinde, ut domos aliquot vicinas pro Religiosorum habitatione addere vellet. Respondit ille: Patres fanum retinerent, donec Sua Majestas Caesarea aliud disponeret, interim quoque ex contiguis domibus, quotquot vellent, pro sua habitatione eligerent. Hoc responso nostri erecti tres aedes cum suis hortis fano vicinas, & eo tempore a militibus infestas delegerunt, quas cum prius incolere non possent, quoadusque milites in alium locum emigrassent, fanum interea a sordibus repurgaverunt, illudque juxta ritum sanctae Ecclesiae exornaverunt: postea vero, cum milites jam in alia loca se transtulissent, nostri vacuas aedes inhabitare coeperunt.

Primum Sacrorum celebratur.

V. Tandem die vigesima septima mensis Augusti omnia fuerunt parata ad primum Sacrificium in eo Templo celebrandum, quod prius Mahometanae superstitionis labe contaminatum optabili metamorphosi nunc in Templum Sanctissimae TRINITATIS transiverat, nulli tamen adhuc Episcopali Dioecesi adscriptum. Ut autem prima haec functio majori splendore perageretur, ad eam suam praesentiam cohonestandam invitati fuerunt imprimis Odwirius, Comes Trautmannstorffius & Fleischmannus, qui etiam cum aliquibus urbis civibus religiosè comparuerunt. Primum Missae Sacrificium P. Redemptor celebravit, qui eò finito protinus cum Socio suo in Transilvaniam discessit, magnificè lætus, quod dubium hoc, & propè jam desperatum negotium tam prospero successu terminatum viderit. Haec fuerunt initia nostrae Domus Belgradensis, quae Germanorum militum & civium subsidiis adjuta post paucos annos in commodum Cœnobium adolevit, cujus incrementis non modicum contulit Eminentissimi Cardinalis Czakii Archiepiscopi Coloczensis pietas, qui in ipsis principiis Belgradum delatus nostram Ecclesiam invisit, nobisque pro sublevanda pauperie haud contemnendam pecuniarum elemosynam reliquit, cujus beneficentiam complures alii imitati Conventum hunc novis structuris ad eum statum, quem nunc obtinet, evexerunt.

Inscriptio Arabica supra januam templi.

VI. Sed neque illud prætereundum esse censeo, quod sit memorabile, & ejusdem fani Turcici originem, ætatemque doceat: videlicet supra januam forinsecus marmorea tabula quadratae formae muro inserta fuit, litteris Arabicis undique inscripta, quas Carolus Mommartz Caesareus Orientalium linguarum Interpretes in Latinum Idioma sic transtulit: *Altum nunc in Civitate edificavit Templum Hafsci Mubieddin Mercator. Invidiam conciperet Mani, structuram illius si videret. Constructori illius multa sit laus. Zeini alta dicit voce: antequam quinque preces, fac illi Chronographicum. Annò Hegiræ 981. id est: annò CHRISTI 1574. Et si verò hujus Inscriptionis sensum secundum omnia perdifficile sit assequi*



assequi, cognoscitur tamen ex ea præcipuum, nempe quis auctor hujus fani fuerit, & in quo anno perfectionem suam attigerit. Paucos ante annos consiliò quorundam hæc tabula de loco suo remota nunc intra cœnobium pro memoria posteritatis asservatur.

1718

## CAPUT XVI.

### *Illaviæ ad novum Templum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum transfertur.*

I. **Q**uo tempore Illaviæ novum Templum ædificabatur, nostri pro Divinis officiis celebrandis Sacellò in ipsis Cœnobii claustris decenter constructò & ornatò usi fuerunt. Tenuit hujus Sacelli usus ad annum præsentis sæculi decimum octavum, in quo post absolutam Ecclesiæ structuram Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad novum Templum translatum fuit die vigesima mensis Novembris in anniversaria Solemnitate Sancti Patris Nostri FELICIS VALESIL. Ad hanc Translationem festivè obervandam pridem omnia magna sollicitudine præparata fuerunt, & invitati convolarunt ex tota vicinia præcipui quique viri Ecclesiastici & Politici Ordinis, ut ad posterorum memoriam solemnem hunc actum testarentur, & condecorarent. Manè horà octavà dicti diei P. Stephanus a Resurrectione Illaviensis Cœnobii Minister in veteri Sacello assistente Religiosa Communitate nostra Solemne Sacrum decantavit, quò absolutò Reverendissimus Dominus Adamus Georius, Canonicus Nitriensis, ac ejusdem Diocesis Archidiaconus, & Curio Trenchinensis, Pontificalibus ornamentis indutus, aram accessit, & thure posito Venerabile Sacramentum adoravit: acceptà deinde in manus Hierothecà, versòque ad populum vultu Ecclesiasticum Hymnum *Pange lingua* inchoavit, quem musici in processione inter tubarum, tympanorumque applausum modulato carmine ad finem perduxerunt.

Illaviæ abso-  
luta Ecclesi-  
ad Transla-  
tionem SS.  
disponuntur  
omnia.

II. Ducta est Supplicatio trans Cœnobii januam præcedente nostra Communitate sub Crucis vexillo, singulis Religiosis ardentibus cereos gestantibus. Hos secutus est supradictus D. Adamus Georius Venerabile Eucharistiæ Sacramentum præferens, magna Ecclesiasticorum Ministrorum turbâ circumfusus. Successerunt deinde e Clero & Nobilitate permulti, quorum singuli lucentes itidem cereos in manibus tenebant. Agmen claudebant inferioris conditionis homines ex utroque sexu, qui similibus omnes candelis instructi longo ordine sequebantur. Postquam Supplicatio factò parvo circuitu novum Templum subivisset, Hierotheca super principem aram in pretioso folio collocata fuit. Quò factò Musicorum chorus præcinente eodem Reverendissimo Ambrosianum Hymnum *TE DEUM LAUDAMUS* inter tubarum tympanorumque clangores atque fragores bellicarum machinarum decantavit.

Fie translatio  
SS. Sacramen-  
ti.

1718.  
Solemne Sa-  
crificium.

Concio.

Apoc. 21. v. 5.

Vesperæ.

III. Postea Solemne Sacrificium de Dedicatione Templi Divino Numini oblatum fuit, sub cujus decursu ærea tormenta tribus vicibus rursus intonare. Liturgiam Concio excepit, quam habuit Reverendus Dominus Stephanus Nosdroviczkus, Cathedralis Ecclesie Nitriensis item Canonicus, & Dubnicensis oppidi Parochus in illum textum Apocalypseos: *Ecce nova facio omnia*, qui post thema pronunciatum tria Evangelia de Dedicatione Templi, de Sancto Patre Nostro FELICE, & de occurrenti Dominica recitavit. Finito Sermone in quatuor aris tumultuario opere excitationis tam ab exteris, quam a nostris Sacerdotibus plura simul fuere celebrata Missæ Sacrificia. Post meridiem horâ competentî Vespertinæ Laudes inter muscos concentus & frequentis populi affluxum persolutæ solemnitate clausurunt. Quâ & nos non solum annum hujus Sæculi decimum octavum, verum etiam octavum Librum Annalium nostrorum claudimus.



AN-